VESTRITII SPURINNAE
LYRICAE RELIQUIAE.

AD AUSPICANDA

GYMNASII REGII WETZLARIENSIS

EXAMINA ANNIVERSARIA

RECOGNOVIT IN GERMANICUM CONVERTIT

ET CUM

ANNOTATIONIBUS SUPERIORUM INTERPRETUM QUIBUS SUAS ADIECIT

SEPARATIM EDIDIT

C. A. MAURITIUS AXTIUS.

Πάνθ' ὁ μέγας χρόνος μαραίνει.
SOPH. Aiac. v. 715.

FRANCOFURTI a. M.

APUD JOANN. DAV. SAUERLAENDER.

MDCCCXL.

— nil non mortale tenemus:
Pectoris exceptis ingeniique bonis.

OVID. TRIST. III. 7. 43.

PROOEMIUM.

In omni re vincit imitationem veritas.
Cic. de orat. III. C. 57.

Spurinnam carmina lyrica condidisse C. Plinius Caecilius [1]) memoriae tradidit, quam epistolam discipulorum [2]) gratia totam huc transcribere lubet:

„Caius Plinius Calvisio suo S.

Nescio, an ullum iucundius tempus exegerim, quam quo nuper apud *Spurinnam* fui; adeo quidem, ut neminem magis in senectute (si modo senescere datum est) aemulari velim: nihil est enim illo vitae genere distinctius. [3]) Me autem ut certus siderum cursus, ita vita hominum disposita delectat, senum praesertim. Nam iuvenes adhuc confusa quaedam et quasi turbata non indecent: [4]) senibus placida omnia et

---

1) lib. III. epist. I.

2) Eorum potissimum commodis inserviens etiam in commentario eleganter et graviter dicta non raro ipsa perscripsi, ut ἀνθολογίας cuiusdam aut χρηστομαθείας vice ille possit fungi; quamquam, cum soli numeri indicantur, etiam viris doctis saepe frustra indicantur.

3) i. e. *magis dispositum, descriptum* rebus et temporibus. Ipse Plin. postea explicat.

4) Haec res multas habet cautiones; vid. aureolum

ordinata conveniunt, quibus industria sera, [5]) turpis ambitio est. Hanc regulam *Spurinna* constantissime servat; quin etiam parva haec (parva, si non quotidie fiant) ordine quodam et velut orbe circumagit. Mane lectulo continetur: hora secunda calceos poscit: ambulat millia passuum tria. Nec minus animum quam corpus exercet. Si adsunt amici, honestissimi sermones explicantur: si non, liber legitur; interdum etiam praesentibus amicis, si tamen illi non gravantur. Deinde considit, et liber rursus, aut sermo libro potior: mox vehiculum adscendit: adsumit uxorem singularis exempli, vel aliquem amicorum, ut me proxime. Quam pulchrum illud, quam dulce secretum! quantum ibi antiquitatis! quae facta, quos viros audias, quibus praeceptis imbuare! quamvis ille hoc temperamentum modestiae suae indixerit, ne praecipere videatur. Peractis septem millibus passuum, iterum ambulat mille, iterum residet, vel se cubiculo ac stilo reddit. *Scribit enim, et quidem utraque lingua, lyrica doctissime. Mira illis dulcedo, mira suavitas, mira hilaritas: cuius gratiam cumulat sanctitas scribentis.* Ubi hora balinei nuntiata est, (est autem

---

C. H. Scheidleri libellum, quem de via et ratione academicorum studiorum conscripsit, p. 4. sqq. p. 41. sqq. ed. II. (Cic. de Orat. 2, c. 21. §. 88.)

[5]) *Industrius* est animus, qui nunquam agitatione et motu vacuus est et semper aliquid agere appetit. Hoc loco magistratus potissimum et negotia publica dicuntur. – *Sera* est *post tempus*, non *ad tempus*. Vid. Wernsd. annotat. ad Vestr. 1, 14.

hieme nona, aestate octava) in sole, [6]) si caret vento, ambulat nudus. Deinde movetur pila [7]) vehementer et diu: nam hoc quoque exercitationis genere pugnat cum senectute. [8]) Lotus accubat, et paullisper cibum differt: interim audit legentem remissius aliquid et dulcius. Per hoc omne tempus liberum est amicis vel eadem agere, vel alia, si malint. Apponitur coena non minus nitida quam frugi, in argento puro et antiquo. Sunt in usu et Corinthia, quibus delectatur, nec adficitur. [9]) Frequenter comoedis coena distingnitur, ut voluptates quoque studiis condiantur. Sumit aliquid de nocte, et aestate. [10]) Nemini hoc longum est; tanta comitate convivium trahitur. Inde illi post septimum et septuagesimum annum aurium oculorumque vigor integer; inde agile et vividum corpus, solaque ex

---

6) Vid. Plin. Epist. 4, 16. init. Intrpp., Pers. Sat. 4, 18. Intrpp., Cic. de Senect. 16, §. 57. Intrpp. — Ad Attic. 7, 11. Tusc. 5, 32.

7) Horat. Serm. 1, 5, 48 — 9.

8) Adolescentuli nostrae aetatis alienam fere ducunt pilam quasi virilitate quadam sua, nempe potando, herbae nicotianae fumo hauriendo, globulos eburneos super lusoriam tabulam agitando, saltatione incomposita et furibunda, et trossulorum inficeta de capsula elegantia se forticulos praebentes. *Pro inversi mores!*

9) Non cupide et quoquo pretio comparat aut effusissime diligit. Vid. F. Jacobs. Flor. Poet. Lat. 2, 401. Cic. Tusc. 2, 14. Parad. 1, 3. Horat. Serm. 1, 4, 28.

10) „Coena occupat aliquam noctis partem etiam aestate." Cat.

senectute prudentia. Hanc ego vitam voto et cogitatione praesumo, ingressurus avidissime, ut primum ratio aetatis receptui canere permiserit. Interim mille laboribus conteror, quorum mihi et solatium et exemplum est idem *Spurinna. Nam ille quoque, quoad honestum fuit, obiit officia, gessit magistratus, provincias rexit: multoque labore hoc otium meruit.* Igitur eundem mihi cursum, eundem terminum statuo: idque iam nunc apud te subsigno: ut, si me longius evehi videris, in ius voces ad hanc epistolam meam, et quiescere iubeas, quum inertiae crimen effugero. Vale." —

Praeter Plinium nullus veterum scriptorum *Spurinnae* videtur fecisse mentionem, nisi quod sunt, qui etiam a Quintiliano X, 1, 96. *Vestritium* significatum putent, ubi Caesio Basso, lyrico poeta laudato, *sed eum*, inquit, *longe praecedunt* ingenia viventium. [11])

Has lyricas reliquias, quae Vestritiani nominis honore ornatae nunc primum separatim eduntur, *Caspar Barthius*, ut narrat *Joannes Christianus Wernsdorfius* [12]), repperit Martispurgi [13]), *inter rudera*

---

11) „Horum quidem aliquem, qui Quintiliano obversaretur, Statium fuisse suspicor, cuius in Silvis sunt Lyrica." — *Spald.* — Eiusdem libri §. 90. equidem lego: *nec ipsa senectute.* Cf. F. Osanni Progr.: Diem sacr. ab S. Lud. cet. 1839. p. 22. — Sub fin. §. 89. stupescent homines elegantiores in Fabiana Latinitate: *Multum in Valerio Flacco amisimus.* —

12) Poet. Lat. Min. 3. p. 327.

13) I. e. *Merseburgi* Saxonum; quod Baehrii caussa

bibliothecae disiectae et contemtae; in membranis veteris codicis, qui plura alia, diversa aetate scripta, continebat, uno et perpetuo versuum tenore, quos ipse **Barthius** *deinceps distinxit.* Inscriptae erant: *Incipit Vesprucius Spurinna de contemtu seculi ad Martium.*

Edidit illas *Barthius* primum cum Venaticis et Bucolicis Latinis, Hanoviae 1613; iterum secundis curis in Advers. libr. XIV. 5. Tum demum animadvertit, auctorem esse **Vestritium** *a Plinio laudatum.* — „Veterem (*Vesprucium*) esse", inquit, „omnino stilus arguit, cultior quam pro media aetate, et Graecismis scatens, unde recentem esse minime concesserim" —, et in Adversariis: „Vestritium Spurinnam Lyricum poetam fuisse, clarum ex Plinii libr. III. epist. 1. Sed an epitomatae, ut loquitur aetas ea, sint illius Odae a monachico aliquo magistro, an alius scriptor, nomine non nihil etiam recedente, disceptandum aliis relinquo. Multi sane Graecismi et philosophicarum rerum non intacta mysteria melius aevum mihi spirare semper visa sunt." —

Adversus hanc hominis ingenuitatem et luculentum antiquitatis colorem, quem ipsae reliquiae, quamvis corruptae et foede habitae, praeferrent, non defuerunt, qui ab ipso *Barthio* [14]) e Plinii epi-

monendum videtur, qui in libro, quem de Lat. Litt. conscripsit (§. 127.), sub voce *Martispurgi* subiecit *Marburgum.* — Quid postea de illo codice factum sit, nescio, neque tempus fuit per litteras sciscitandi. —

[14]) Si mihi contingat, ut *C. F. Hermanni* animum flec-

stola effictas suspicarentur, velut ipse *Jo. Matth. Gesner* in annot. ad Plin. l. c.

Wernsdorfius cum diu in eadem opinione fuisset, et has reliquias non solum adulterinas putasset, sed etiam hiulcas et summe obscuras vidisset, nolebat in Poetas Minores recipere. Sed *Theoph. Sigefr. Bayeri* auctoritate commotus mutavit sententiam, quippe quem plurimi hunc *Spurinnam* fecisse et cum annotationibus editurum fuisse legisset; et Tom. III. primo loco in Lyricis ponendas duxit *has Vestritii Spurinnae reliquias*. Quod recte fecit; quoniam, ut ipse ait, is et numero carminum et aetate, si forte Statium excipias, ceteros, qui post Horatium genere lyrico luserunt, antecedit [15]).

At vero iam editum erat *Bayeri de Vestritio Spurinna, Lyrico, et illius fragmentis, opus postumum* in Commentariis Academiae doctrinarum Petropolitanae Tom. IX. ad ann. 1739. typ. express. Petropoli 1750., p. 311. seqq. Quod fugerat *Wernsdorfium*, qui a *Klotzio* animadversiones illas inter

---

tam, quem et ipsum non longe abesse audio, quin hos versiculos fraudulentum Barthiani ingenii fetum esse arbitretur, mirifice gaudebo. — Εὐέλπιδες μέν ἐσμεν; nam homo litteratissimus et prudentia perspicaci praeditus si amplis et grandibus studiis intentus haec *avia Pieridum loca* veloci oculo percurrerit et in levi habeat, ecquid mirum? —

15) Quid *Henricum Meyerum Turicensem* commoverit, ut personatum Horatium in Anthologiam contribueret, *Vestritium* omitteret et silentio praeteriret, ἀκατάληπτον.

inedita scripta *Bayeri* relatas vidisset. Intellexit errorem *postea quam ipsius liber iam prelo exiit,* et *Bayeri* annotationes Addendis [16]) ad Tom. III. inclusit (Tom IV.).

Jam ipse *Wernsdorfius* ita de his reliquiis iudicat, ut eas et ab argumento et a dictione *vel ex genuinis, quae olim extiterint,* **Vestritii** *carminibus contractas et consarcinatas, quod* **Barthio** *visum sit, vel* potius *ad ingenium Spurinnae, qualem* **Plinius** *descripserit, ab alio, antiquo tamen, poeta compositas esse* existimet. *Ipsa Spurinnae Lyrica vel non edita in scriniis perisse, vel edita non aetatem tulisse, propterea quod a nemine veterum grammaticorum vel commentatorum commemorentur; neque Spurinna ipse a quopiam veterum inter celebres poetas lyricos nominetur.* —

> Φεῦ·
> ἦ δεινόν, ᾧ δοκεῖ γε καὶ ψευδῆ δοκεῖν! [17])

Nempe, ut Hippocrati [18]) quidem videtur, *vita brevis, ars longa, occasio fugax, experimentum periculosum, iudicium difficile* [19]).

---

16) Etiam Tom. V, 3. p. 1464. Wernsdorf. nonnulla adiecit, quae Tom. III. respiciunt.

17) Vid. Soph. Ant. v. 323. et interpretat. Boekhii, viri eruditissimi, apud Wunder.

18) Ἀφορ. I.

19) Pseudociceronis Marcellianam ante Wolfium summi viri et peritissimi harum rerum iudices impense admirabantur tanquam perfectissimum orationis ot panegyrici exemplar, et Orphica ista ipse ille Ruhnkenius

Hae carminum reliquiae ita sunt comparatae, ut non prudentis, sed obstinati sit hominis, dubitare, ab eo, ad quem referantur, esse conscriptas. Dignae *Vestritio* sententiae, digna dictio, neque ullo loco laxior orationis contextus pro lyrico poeta, ut trunca videri possint congesta. Quidquid *Wernsdorfius* ad stabiliendam suam opinionem disserit, somnia! — Quod, „etsi enim," inquit, „*Spurinna* otium honestum et quietam senectutem egit, quis tamen inde contendat, carmina eius non alia de re, quam de hac ipsa egisse? Et quam Plinius illius carminibus fuisse dicit miram dulcedinem, suavitatem et hilaritatem, equidem mihi videor in fragmentis istis non magnam reperire, etsi reperio sanctam gravitatem," — admodum ridicule ista effutivit vir optimus. Prima enim parte eorum, quae pronuntiavit, his reliquiis crimini dat, quod argumento *Vestritianus* se exhibeant; altera parte, quod, quantumvis breves, mutilae et paucae, non cunctas *Vestritianae* orationis virtutes in unum comportatas praeferant. Ipse tamen *Wernsdorfius* suspicioni suae non multum videtur tribuisse et postea magis magisque in eam sententiam esse adductus, ut haec carmina germana esse putaret. Ita in annotatione prooemio subscripta clamat: „Qui igitur haec carmina et Graecismis et

---

decimo ante Christ. n. saeculo, idem ille Jo. Matth. Gesner ab Orpheo Thrace composita esse sibi persuaserant et acerrime defendebant. — Nimirum: *ὢ πόποι, οἷ' ἀπατᾶται φροντὶς ἐφημερίων οὐκ εἰδυῖα.* Πινδάρ. IB' Ἀδηλ. *παρὰ Ἀρτεμιδ.* cet. 9. —

aliis priscae Latinitatis floribus distinguere potuit, nae ille, nisi ipse *Spurinna* est, stili eius genium optime tenuit." —, et in. Addend. ad Prooem. de Mario Celso, qui carm. 1, 2. [20]) videtur commemorari: „Qui quod ibidem (Mart. X, 92) vitae tranquillae deditus, et ruris amans dicitur, plane se similem et amicum *Spurinnae* praebuit. Cum igitur Marium, ad quem carmina sua scripsit *Spurinna*, in ipsa historia reperiamus tunc temporis vixisse, *Spurinnae* amicum, iisdem partibus addictum, honoribus et rebus gestis aequalem, ut eum ipsum esse, qui in carminibus nominatur, dubitari nequeat, novum inde et gravissimum argumentum pro genuina carminum, quae habemus, *Vestritii* sinceritate enascitur. Etenim si quis recentior ea conficta *Vestritio* supposuisset, credo eum quodvis aliud obvium et vulgare Romanum nomen positurum fuisse, quam illud verum, sed minus frequentatum Marii, quod aetati, vitae et rebus *Spurinnae* et historiae testimonio tam belle convenit, quod tamen librarius adeo vel nescivit, vel neglexit, ut in Martium, magis notum et familiare nomen corrumperet." — Adde, quae ad Vestr. 1, 16 annotavit. —

Martinus Opitius, poëta satis doctus et elegans, in prooemio scriptorum suorum ingenue profitetur, quo pauciores *Vestritii* versus ad haec tempora pervenerint, eo maius nobis moveri deperditorum desiderium, et *F. A. Wolfius* in enarratione Lat. litte-

---

[20]) Ubi vid. annotat.

rarum ed. Gürtl. Lips. 1832. p. 238. *Vestritium* ita affert, ut has reliquias non insitivas ab eo esse habitas manifestum sit. *Ch. Gu. Mitscherlichius* quoque ad Hor. Carm. 2, 16, 9—12. has *Spurinnae* reliquias sine adiunctione producit. Neque *Frid. Anton. Rigler,* vir acris ingenii et Latinarum litterarum cognitione non leviter tinctus, mihique quondam munere, familiaritate, officiis, usu, consuetudine, philologorum studiorum suavissima societate coniunctus, hos veros esse *Spurinnae* versiculos negavit.[21]) — *Jo. Ch. F. Baehrius* in libro, quem de Latinis litteris conscripsit, Wernsdorfiana refert. Idem nobis, quibus properato opus est, licebit facere iis, quae *Wernsdorfius* de vita *Vestritii Spurinnae* composuit.

„Vesprucium quidem, vel Vespricium, antiqua Barthii membrana inscripsit, sed *Vestritium* legendum, non solum *Spurinnae* cognomen apud Tacitum et Plinium, *Vestritio* iunctum, sed et ipsum gentis *Vestritiae* vocabulum in veteribus monumentis obvium, declarat. T. *Vestritius* Hyginus, *Vestritia* Hetera et *Vestritius* Dexter in opere Gruteri leguntur.[22]) *Spurinnae* nomen Etruscae originis et gentis esse, probare videtur aruspicis *Spurinnae* exemplum a Suetonio in Jul. Caes. c. 81. memoratum, et Etruscus iuvenis *Spurinna* apud Valer. Max.

---

[21]) In Progr. Cliv. 1829: *Annotat. max. part. crit. in poet., qui minor. voc.;* quibus meae quoque aliquot tum insertae sunt annotatiunculae.

[22]) Pag. 392. n. 1. et pag. 957. n. 5.

lib. IV. cap. 5, ext. 1. Virum bello et pace egregium ostendunt acta, quae a Tacito et Plinio memorantur. In bello civili Othonianarum partium dux fuit, cum Annio Gallo ad occupandas Padi ripas missus contra Caecinnae Vitelliani exercitum per Alpes advenientem, et deinceps Placentiam coloniam cum tribus praetoriis cohortibus, mille vexillariis et paucis equitibus occupans oppugnatam a Caecinna fortiter defendit. [23]) Quam tamen deseruit, postquam ad Bebriacum infelicius ab Othonianis pugnatum esset, et, relicto modico praesidio, cum cohortibus suis Macro duci subvenit. [24]) Imperatoriam laudem maximam sub Traiano assecutus est in Germania, ut memorat Plinius. [25]) Nam regem Bructerum, qui ad Romanos confugerat, vi et armis induxit in regnum, sine sanguine et caede tamen, ostentatoque bello ferocissimam gentem terrore perdomuit. Ob quod meritum, Traiano principe auctore triumphalis statua ei decreta est. [26])

---

[23]) Tacit. Hist. II, 11. et 18. sqq. Plutarch. in Oth. c. 5. et 6.

[24]) Tacit. Hist. II, 36.

[25]) ep. lib. 2, 7.

[26]) „Sunt, qui hanc expeditionem *Spurinnae* temporibus Traiani inserunt: at Jo. Jac. *Mascovius* in Hist. Germ. p. 142. gravi argumento Nervae Imperatori vindicavit. Cui sententiae confirmandae tametsi quaedam etiam a nobis proferri posse sentio, tamen cum alia e contrario obstare videantur, ampliandum potius duco." — Haec disserit Th. Sigefr. Bayerus l. l. pag. 314. — WERNSD. — *Mascov.* l. l. haec annotavit: Man

Habuit in matrimonio Cocciam, singularis exempli feminam, ut ex Plinio apparet. [27]) Per hanc videtur *Spurinna* M. Salvium Othonem Imp. affinitate attigisse, et propterea eius partes secutus. Nam Othonis frater, L. Salvius Titianus, [28]) filium habuit Salvium Cocceianum, quem Domitianus interfecit. [29]) Cuius cognomentum Cocceiani indicat matrem eius e gente Coccia vel Cocceia fuisse, e qua et Coccia *Spurinnae* erat. Atque e matrimonio Cocciae *Spurinna* filium habuit Coccium vel Cottium, qui ante diem periit, tam praeclarae indolis iuvenem, ut ei et statuae honos haberetur in solatium patris tum absentis [30]) et Plinius eius memoriam sigulari libello prosequereretur. [31]) Vitam *Spurinna* ultra septimum et septuagesimum annum pro-

---

nimmt die Worte *Principe autore* (Plin. 2, 7.) insgemein von Traiano. Aber aus Plinii Briefe erhellet nicht, ob sie von Traiano oder Nerva, oder gar Domitiano zu verstehen. Zum wenigsten lassen sie sich nicht von Traiano auslegen, wenn man annimmt, dass Tacitus, sein Buch von den Sitten der Deutschen, im ersten Jahr von Traiani Regierung ausgegeben, weil er darinnen schon von Vertilgung der Bructerer schreibet: Plinius aber sie noch, als ein mächtiges Volk vorstellet. — A.

27) Epist. 3, 10.

28) De quo Tacit. Hist. 1, 75 et 77.

29) Suet. Dom. c. 10.

30) Plin. epist. 2, 7.

31) Plin. epist. 3, 10. quae est epistola hac de re ad ipsos parentes *Spurinnam* et Cocciam perscripta.

duxit, ut memorat Plinius. Unde ipse in carmine primo dicitur annum agens septuagesimum scripsisse. Cum bonis artibus et doctis viris summo opere faveret,[32] senectutem tranquillam et otiosam multum in studiis et in contubernio eruditorum iuvenum exegit, in quibus C. Plinius et Sentius Augurinus, *Spurinnae* affinis, fuit.[33] Summa etiam familiaritate vixisse cum Julio Apro et Agricola, Corn. Taciti socero, scribit Petrus Crinitus;[34] id tamen quo auctore scripserit, ipse non inveni." —[35]

Miserabiliter queruntur superiores interpretes tenebras his carminibus offusas et deformitatem iniuria temporum illatam. Audi, quae *Wernsdorfius* dicit: „Caeterum opusculum hoc, quod edo, *Spurinnae* lacerum valde, hiulcum et obscurum, salutarem adhuc docti viri operam exspectavit. *Barthius*, praeterquam quod e naufragio servavit has reliquias, parum eis praestitit bonae opis. Pauca earum loca emendare et interpretari ausus est, quaedam plane desperavit, pleraque reliquit intacta, et sic destituit magis, quam servavit. Unus post *Barthium* illustrare agressus est, et multa, nec vana, in *Vestritium* se notasse fatetur *Th. Sigefr. Bayerus*, hac ipsa ratione adductus, quod videret, *Barthio* solem non luxisse." —

32) Plin. epist. 5, 17, 1.

33) Plin. 3, 1, 4. et 4, 27, 5.

34) De poetis lat. cap. 71.

35) Wernsd. P. L. M. 3, p. 333.

Quod quidem, opinor, ipsi *Bayero* saepe accidit, et fortasse mihi etiam saepius, qui praesertim homullus unus e misello lusciosorum grege, affectus valetudine, intra unum mensem et inter perpetua officii munera et privatas occupationes necessarias hunc libellum deberem conficere, quem primis tantum lineis in schedulis designatum haberem, atque adeo tale Musarum δυσχείρωμα Germanice auderem vertere, ut iam quivis, si dis placet, perspicere, vellicare, corrigere possit [36]). Nam cum ea esset temporum iniquitas, ut Wetzlarienses tertium examina Gymnasii inauspicato habituri et ἀσύμβολοι ad doctum sodalicium venturi viderentur, viri gravissimi et amplissimi, qui his rebus publice praepositi sunt, mihi mandarunt, ut *extra ordinem* munus scribendi reciperem. Quum igitur illorum voluntati et auctoritati obtemperans ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ hoc onus honorificum sustinuerim, atque, ut fit in rerum mole, exiguo spatio, alieno tempore, expediendarum, multa necesse esset praepropere agi et praecipitari, errorum, si qui mihi obiecti sint, apud aequos humantitatis existimatores facile veniam me consecuturum esse spero [37]),

---

[36]) Quas in hoc genere me sequi professus sum in Progr. Wetzl. 1835 p. 6. sq. rationes magnum gaudium mihi attulit *Hertzbergius*, vir eximius, quod in Progr. Halberst. 1836. p. 22. sibi et ipsi placere dixit meque nominatim appellavit.

[37]) *Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest.* Publ. Syr. apud Senec. de Tranq. an. c. II. — Papae! „Quod prolubium?" (Ter. Ad. 5, 9, 28.) — Bona verba

dummodo plura fructuosa videantur; quod non dubito [38]). Si Pindaricus κενεοφρόνων ἑταῖρος ἀνδρῶν secus opinetur, aut homines imperiti vel immodesti, nihil moror. Certe me consolabor conscientia rectae voluntatis et temporis ad hoc praeclarissimum Mantuani vatis dictum collocati:

Stat sua cuique dies; breve et inreparabile tempus
Omnibus est vitae: sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus. [39])

Quod vero ipsum attinet, quem ἐν τῷ καλῷ τίκτειν παῖδα ἀθάνατον [40]) sane quam cupii, ut fui conditione, ita mente me nunc esse plane Ovidiana penitus tibi velim persuadeas:

---

quaeso! Non velamentum quaero pigritiae aut inflatae opinionibus stultitiae!

38) Eo minus, credo, mea fastidientur, quo verius monet *Fr. Haasius,* vir doctissimus (Reisig. Schol. de Gr. Lat. habit. p. 883.): „Dagegen findet sich eine sehr reiche Sammlung über diesen Sprachgebrauch bei Dichtern (de enallage epitheti) in einem Buche, das überhaupt den dichterischen Gebrauch der Epitheta mit der grössten Sorgfalt und Klarheit und mit beinahe erschöpfender Fülle behandelt und welches somit *einen sehr dankenswerthen Beitrag zu der arg versäumten Grammatik der poetischen Sprache liefert,* nämlich in *C. G. Jacob,* Quaestiones epicae seu symbolae ad grammaticam lat. poeticam. Quedlinb. et Lips. 1839. pag. 112. sqq."

39) Virg. Aen. 10, 467.

40) Plat. Sympos. p. 206. C. p. 209. B. p. 210. C.

Ablatum mediis opus est incudibus istud:
Defuit et scriptis ultima lima meis.
Et veniam pro laude peto: laudatus abunde,
Non fastiditus si tibi, lector, ero. [41])

Scribebam *Wetzlariae* die tertio ante Cal. Jul. MDCCCXL.

M. A.

---

[41]) Ovid. Trist. 1, 7, 25—36. 39—40. — Extremum illud est, ut iis, qui haec legant, indicem, ab J. D. Sauerlaendero, bibliopola honestissimo, etiam venalium huius libelli exemplarium numerum, qui satis videbatur, esse paratum. — Fasti scholastici Germanice scripti ann. 1838—40. separato libello continentur. —

VESTRITIUS SPURINNA.

— καὶ μὴ ὅτι κατὰ τὸ σῶμα, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν ψυχὴν οἱ τρόποι, τὰ ἤθη, δόξαι, ἐπιθυμίαι, ἡδοναί, λῦπαι, φόβοι, τούτων ἕκαστα οὐδέποτε τὰ αὐτὰ πάρεστιν ἑκάστῳ, ἀλλὰ τὰ μὲν γίγνεται, τὰ δὲ ἀπόλλυται· πολὺ δὲ τούτων ἀτοπώτερον ἔτι, ὅτι καὶ αἱ ἐπιστῆμαι μὴ ὅτι αἱ μὲν γίγνονται, αἱ δὲ ἀπόλλυνται ἡμῖν, καὶ οὐδέποτε οἱ αὐτοί ἐσμεν οὐδὲ κατὰ τὰς ἐπιστήμας, ἀλλὰ καὶ μία ἑκάστη τῶν ἐπιστημῶν ταὐτὸν πάσχει.

Diotima (Plat. Sympos. p. 207. E. Vid. annotat. ad Vestr. 1, 15.).

VESTRITIUS SPURINNA

DE

CONTEMTU SAECULI

AD

MARIUM.

I.

Dulces Vestritii iocos,
Seras Socraticae relliquias domus,
Ne laudes nimium, Mari.
Contemnit placitas nobilibus viris
Soli qui sapientiae,
Post florem tepidum nec stabilem gradum
Aetatis, senium dicat
Mentis compositae: qualis ab arduis
Ad se versa laboribus,
Quos non det patriae, seposuit sibi
Annos, orba lucro gravi;
Ut non ambitio tegmine candida
Illudat gravidae spei.
Nos sero pelagus vicimus invium;
Quidquid viximus, interit.

I. v. 12: *Ut non* ego addidi; in codice manu scripto fuit lacuna.

Vestritius Spurinna

von der

Verachtung der Welt,

an

Marius.

I.

Süssen Scherz des Vestritius,
Aus Sokratischem Haus späte Verlassenschaft,
Lobe, Marius, nicht zu sehr.
Ob von Edeln belobt, achtet sie nimmer doch,
Der nur weiser Beschaulichkeit,
Nach der laulichen Blüth' und dem noch wankenden
Jugendschritte, das Alter weiht,
Nun beruhigten Sinns; wie zu sich selbst gekehrt
Er von schwieriger Aemter Müh
Spart die Jahre für sich, die er dem Vaterland
Nicht beut, frei von des Geizes Last;
Dass Ehrsucht ihn verhöhnt nimmer im weissen Kleid,
Voll von strotzendem Hoffnungstrug.
Spät erst siegeten wir irrsamen Wogen ob;
Was wir lebten, es geht dahin.

Aestas quem decies septima dividit,
An leves memoret iocos,
Atque aptos citharae conciliet modos,
Surdis auriculis strepens?
Quisquis decrepiti corporis est reus,
Sat sese eloquii probat,
Si servet placidi iura silentii,
Et patrocinium otii.
Hoc cani gravitas verticis abstitit;
Non ut sponte sua fugax,
Sed multi numeris carminis — —
— — — —
— — — —

II.

Fave, sancta deum sata,
Nullis, Pauperies, numinibus minor,
Tecum si sapias tibi;
Ultro magnificis hospes honoribus,
Absolvens numerum tuae
In te laetitiae; sordida cum quies,
Lautis nuda tumultibus,
Ambit se patria fertilis in domo;
Nullis vendita plausibus,
Contemtrix queruli magnanima fori.

I. v. 26: Lacunam codicis sic conatus sum explere:
— — *impigre*
Torporem stimulans malum,
Fatalem excipiat spiritus hic diem.

Soll der, welchen getheilt siebenzig Sommer schon,
Noch gedenken der leichten Scherz'
Und entsprechendes Maas fügen der Cither an?
Tauben Ohren ja rauscht er nur.
Jeder, welcher verfiel altergeschwächtem Leib,
Zeigt hinreichend Beredsamkeit,
Wenn das Recht er bewahrt friedlichen Schweigens und
Seiner Musse Vertheidigung.
Des ergraueten Haupts Würde verschmähte dies:
Ein freiwilliger Flüchtling nicht,
Nein, rastlos mit dem Takt reichlichen Liederklangs
Soll aufstachelnd den starren Geist
Einst mein Odem den Tag seines Geschicks empfahn! —

II.

Sei hold, heiliges Götterkind,
Armuth, jeglicher Macht gleich in der Himmelshöh,
Lebst du weise für Dich Dir selbst;
Wenn freiwillig Du fremd herrlichen Ehren bist,
In Dir selber die Summe Du
Deiner Freuden bestimmst, und sich die niedre Ruh,
Vornehm wirren Tumultes baar,
Bei ihr selber bewirbt, schaffend im Vaterhaus.
Beifallklatschen erkauft Dich nicht,
Klagenrauschenden Markts hohe Verächterin!

Nil non sola potens, ubi
    Furtivis procerum suppliciis procul
Regnas in proprio sinu.
    Felix, quem teneris mater ab unguibus
Et regina rapis simul.
    Non illum populi fascibus arduum
Versat nobilitas mala
    Curarum facilem fluctibus, ut suis
Orbum sideribus rotet.
    Illum splendida nox et decor improbe
Caecus praecipitant — —

— — — —

III.

Postquam fixa solo semel
    Spernit fluctivagos ancora navitas
In saevum pelagus sequi,
    Quam vitat gravido perniciem mari,
In suo reperit sinu:
    Haerentem tumidis aggere dentibus
Aerugo propria exedit.

II. v. 16: Vox *populi* deest in codice; ego restitui ex mea et *Rigleri* coniectura.

II. v. 21: Quae in codice intercidisse existimo, hi versus indicant: . . . *praec., latens*
Et frangit cupidum mox scopulus caput.

III. v. 6: E Wernsdorfii coniectura: *timidis*, verti.

III. v. 6: *aggere* non fuit in cod.; ego adieci.

Alles kannst Du allein, wenn von
Heimlich kriechendem Fleh'n Grosser entfernet Du
Herrschaft übst in der eig'nen Brust.
Glücklich, wen Du zu *Dir* ziehest als Mutter von
Kindesbeinen, als Königin.
Ihn niemals durch des Volks Steckengebund' erhöht
Quält das leidige Adelsthum,
Sorgenwogen ein Spiel, dass es im Kreis' ihn dreht
Sonder leitender Sterne Schein.
Wohlstand, über Gebühr blind, und die glänzende
Nacht stürzt *ihn* von der jähen Höh',
Und das gierige Haupt bald an dem Fels zerschellt.

III.

Wenn einmal in dem Boden fest
Scheut der Anker mit fluthschweifenden Schiffern zu
Gehn hinaus auf die grause See:
Welch Verderben er will meiden im Schreckenmeer,
Wird er finden in *seinem* Schoos.
Denn, indem er am Wall haftet mit bangem Zahn,
Ihn der eigene Rost zerfrisst.

Ni te desidia sancta quies levet,
Turbas dum populi fugis,
Privatis quaties fata tumultibus,
In te ludere pervicax.
Nos — vigilans somnis — furor
Tortis liberat anguibus,
At presso gracilis Cura manet pede.

IV.

Ingrati nebulae desidiae caput
Circumstant trepidum: Sors nimia in probos
Incestis facilis annuit ausibus:
Sta contra assiduo pede.
Multum turba tenax — fidei
Ultra fata furit, non docilis fugae,
— desider — — praemio
— — — —

III. v. 12: Post vocem *Nos* excidisse mihi videtur *quamquam* et ante *furor* particula *sic*, pro *somnis* autem *somnia* reponendum.

IV. v. 5. sqq. Ut haec stropha in codice scripta fuerit, vides; ego sic reconcinnavi:

Multum turba tenax sed nocuae fide
Ultra fata furit, non docilis fugae,
Quam desideret ut res mala praemia
Irae non domitae minans.

Wenn nicht heilige Ruh Dich vor Erschlaffung wahrt,
Wirst Du, welcher das Volksgewühl
Flieht, im heimischen Sturm schütternd des Lebens Glück,
Eigensinnig Dir selbst ein Spiel.
Obgleich so uns die Wuth, welche die Träume wacht,
Frei gewundener Schlangen lässt,
Bleibt aufstemmend den Fuss schmächtige Sorge doch.

IV.

Schlaffer Ruhe Gewölk steht um das zage Haupt
Undankbarer, wenn hold frecher, verruchter That
Allzu feindlich das Glück gegen die Braven dient. —
Tritt entgegen mit festem Fuss!
Doch an schädlicher Treu' haftender Freunde Schwarm,
Wüthend über Geschick, nimmer zu fliehen weiss,
Mag es heischen die Zeit, dräuend mit schlimmem Lohn
Ungebändigtem Zornesmuth.

ANNOTATIONES

AD

VESTRITIUM SPURINNAM.

Edidi, quae potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiae coegerunt.
Cic. de orat. 3, 61.

I.

Vestritius Spurinna.) MStus *Barthii* in titulo *Vesprucius* et primo versu *Vespricii* exhibuit, quod utrobique cum vero nomine Vestritii commutare non dubitavi. WERNSD. — Item iudicavit *Bayer*.

De contemtu saeculi.) Hunc titulum a Christiano librario profectum esse recte censuerunt interpretes. Sed *saeculi* non notandum esse probe animadvertit *Bayer,* qui haec annotavit: „Saeculum etiam suam quisque aetatem et suorum aequalium dicebant. Cicero in Paradoxis: *ego etiam in huius saeculi errore versor,* et alibi, *insolentia huius saeculi.* Post id dici coeptum est, non ut oratorem delectavit, *hoc saeculum.* Plinius ad hunc ipsum Spurinnam l. V. ep. 17: *faveo saeculo, ne sit sterile et effoetum,* et ad Cornelium Tacitum l. VII. ep. 33: *Divus Nerva non mihi solum, sed etiam saeculo gratulatus est, cui exemplum simile antiquis contigisset.* Tacitus ipse Hist. l. II. c. 37: *Paullinum non sperasse corruptissimo saeculo tantam vulgi moderationem.* In numis frequens: SECULUM FRUGIFERUM. SECULUM FOECUNDUM." Haec Bayer. — Adde Terent. Adelph. 3, 2, 6:

Hoccine saeclum? o scelera, o genera sacrilega, o hominem impium!

(Cic.: O tempora! O mores!)
Tacit. Germ. 19: *Nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere et corrumpi, saeculum vocatur.* — Propert. 1, 16, 12:

Turpior et saecli vivere luxuria.

De usu vocis *saec.* Christiano cf. *Forc.* sub voc. Saec. f.

Argumenti caussa, in quo versetur hoc carmen, *Wernsdorfius* comparat Calpurnii 8, 11:

Viximus et calamis versus cantavimus olim, cet.

Adde Wernsd. Poett. Lat. Min. 3. p. 413.: Prosp. Tyr. Exhort. ad Coning.:

Age iam, precor, mearum
Comes irremota rerum,
Trepidam brevemque vitam.
Domino Deo dicemus.
Celeri vides rotatu
Rapidos dies meare,
Fragilisque membra mundi
Minui, perire, labi.
Fugit omne, quod tenemus,
Neque fluxa habent recursum:
Cupidasque vana mentes
Specie trahunt inani.
Ubi nunc imago rerum?
Ubi sunt opes potentum?
Quibus occupare captas
Animas fuit voluptas? —

Eodem metro usi Petron. (Fragm. 6). Hadrian. (Meyer. Anthol. I. p. 70). Symmachus (ibid. p. 106). Claudian. XII. Proinde errat Zumptius, vir egregius, Gr. Lat. §. 854.

Ad Marium). Vulgo: *Martium;* item Carm. 1, 2; correxit *C. Barthius,* qui illum Marium dici opinatur, quem Martialis X, 92. vitae quietae cultorem vocet.

Wernsdorf.: „Hunc Marium probabili admodum ratione *Bayerus* coniicit fuisse Marium Celsum, quem vita et rebus

gestis coniunctissimum Spurinnae fuisse, e Tacito discimus. Histor. I, 31. II, 23. II, 60. Non absimile vero est, Martialem in epigrammate a Barthio citato eundem Marium Celsum alloqui." — Cf. Prooem. (med., annot. 19.)

V. 1.

Dulces Vestritii iocos.) In MS.: *ioca;* correxit *Barthius.* — Ipsi *dulces ioci* sunt etiam apud Ovid. Art. A. 3, 328; 1, 594: *dulcis iocus.* — *Wernsdorfio* Vestritius ita appellasse sua carmina videtur, quod plerumque mores hominum tangerent et suaviter alluderent animis, Socratico more, ut de Horatio loquatur Persius 1, 16:

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit et admissus circum praecordia ludit. —

Recte; nam satiricum potissimum, quod vocant, carminum genus, facetum et ludicrum, *iocos, nugas lususque* dicebant, et verbo ludendi ipso praesertim poetica studia et in his leviora illa significabant. Cf. annot. ad v. 2. et Aegid. Forc. s. v. *ludere* med., Cic. Cat. Mai. §. 49, de Orat. I. §. 18, Brut. 1, 5, ubi artes poeticae et scenicae *leves* dicuntur.

Ita Martialis Epigr. 1. Epist. ad lector. sua poematia *iocos* et 4, 49. *lusus* vocat, et Caius Melissus *sexagesimum aetatis annum agens libellos Ineptiarum, qui postea Iocorum inscribebantur, componere instituit,* ut narrat Sueton. de Illustr. Gr. 21. Adde Horat. 2, 1, 37:

Sed ne relictis Musa procax iocis
Ceae retractes munera naeniae.

3, 3, 69:

Non hoc iocosae conveniet lyrae:
Quo Musa tendis? desine, pervicax,
Referre sermones deorum —.

Sic hoc loco distinguendum videtur; nam *pervicacem* appellat Musam, quae longius carmen insolito spiritu cecinerit. Vide

tamen quae ad Vestr. 4, 2—3. annotavimus. — Hor. Sermon. 1, 9, 2:

Ibam forte via sacra, sicut meus est mos,
Nescio quid meditans nugarum —,

ubi vid. Porphyr. et Heind. — Huius meditationis gratia Horatium se v. 78. ***ab Apolline servatum*** praedicare C. ***Reisigius*** vidit; idem v. 10. post ***puero*** plene interpungendum et v. 30. legendum suasit ***motum,*** afferens C. 3, 1, 16., 2, 3, 25. —

Epist. 1, 1, 10: ***versus et caetera ludicra.*** Catull. 1, 4: ***nugas.*** Ovid. Trist. 1, 9, 61 — 62:

Scis vetus hoc iuveni lusum mihi carmen et istos
Ut non laudandos, sic tamen esse iocos.

5, 1, 7:

Integer et laetus laeta et iuvenilia lusi:
Illa tamen nunc me composuisse piget.

Phaedr. 4, 7, 2: ***hoc iocorum genus.*** Virg. Georg. 4, 565: ***carmina qui lusi pastorum.*** Cul. 1, 3. 6:

Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia: —
Quisquis erit culpare iocos Musamque paratus.

Horat. 1, 32, 2:

Poscimur. Si quid vacui sub umbra
Lusimus tecum, —.

4, 9, 9:

Nec si quid olim lusit Anacreon, —

Sermon. 1, 10, 37:

Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona, dumque
Defingit Rheni luteum caput, haec ego ludo.

Wernsd. Poett. Min. 3. p. 418. v. 5:

Et metri variis ludere legibus —,

quo loco nescio an ***ludere*** ita accipiendum sit, ut homo inepte affectans Pindari ποικιλοφόρμιγγα ἀοιδὰν magna usus vi-

deatur numerorum varietate aut Catullum et Licinium imitatus (Catull. 50, 1 — 6.). Eiusdem carminis v. 11. peccavit *Wernsdorfius;* nam verbum *ludendi* etiam ad reliquas artes transfertur et omnino ad ea, quae, ut *Forcellinus* ait, animi caussa fiunt; vid. Virg. Georg. 2, 464: *illusas auro vestes.* Quid, quod apud Cic. de Orat. 2, c. 55. §. 222. *caussa et disputatio luditur?* — (vid. annot. ad v. 15.) cuius libri §. 223. ii refutantur, qui *liber de aliqua re* Latine dici negant, (velut Georg. lexic. s. v. *Ueber,* fin.; Krebs. Antib. §. 32. qui p. 363. s. v. *pius* sibi dissentit; cf. quae ad Vestr. 3, 4. annotavimus.) et §. 216. cap. 54. necessario *possint* reponendum est. — Denique de lusibus lege quae sunt apud Plin. Epist. 7, 9. med. Xenoph. Sympos. init.

Ex his ipsis, quae adhuc narravimus, satis apparet, cur *ioci* Vestritiani et quae apud Vell. Paterc. 1, 17. *Latini leporis facetiae per Caecilium, Terentiumque et Afranium nituerunt,* dicantur *dulces,* quamquam Horatius omnibus poetis Epist. ad Pis. v. 99. praecepit:

> *Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunto,*
> *Et quocunque volent animum auditoris agunto.*

Cf. ad hunc locum A. Arnold., hominis acutissimo et elegantissimo iudicio, annotationem. Sed in aliis carminibus alia est huius laudis caussa singularis. Ita Terentianus *dulcia* vocat Septimii *Opuscula lyrica,* quibus ille *ruris delicias et res amatorias descripserat vario metri genere et periucunde,* vid. Wernsd. Poet. Min. 2. p. 251; et idem Wernsdorfius ipsum Septimium a Statio propterea *dulcem* appellatum existimat, Silv. 4, 5, 34, Poet. Min. 3. p. 374. et pag. 337; sed hoc dubium; vide Ernest. Clav. Cic. s. v. *dulcis* et Horat. Ep. 2, 40. — Cic. de Offic. 1, 1: *Demetrius Phalereus . . . orator parum vehemens; dulcis tamen, ut Theophrasti discipulum possis agnoscere —,* ubi vid. Zumpt., qui Brut. 31. affert; adde c. 9. §. 37. c. 10. §. 40. Orat. §. 94. — Cornel. Nep. Attic. 18, 4. de historiis Pomponii; *quibus libris nihil potest esse* dulcius *iis, qui ali-*

quam cupiditatem habent notitiae clarorum virorum. Attigit quoque poeticen: cet.; quo loco notanda collocatio *quoque* particulae, quae eiusmodi est, ut pervulgatis grammaticorum praeceptis refragetur, vid. Krebs. Autib. p. 411, Brem. ad Nepot. Ages. 6, 2. Adde Cic. de Orat. I. c. 51. §. 219. lib. II. c. 11. §. 47. c. 56. §. 227. et cf. Reisig. Schol. de Gr. Lat. habit. ed. Haas. p. 429 — 30. Tacit. Agr. 18. f. Liv. 2, 33, 4. 40, 12. 43, 1. 45, 1. Sane haec particula nonnunquam loco videtur mota (vid. pro Leg. Manil. §. 43. var. script.), sed quid facies Ovid. Art. Am. 3, 330:

Sit tibi Callimachi, sit Coi nota poetae,
Sit quoque vinosi Teia Musa senis.

Priap. 39, 2 — 3:

Forma conspiciendus est Apollo:
Formosus quoque fingitur Lyaeus. —

Adde Propert. 2, 12, 18:

Sunt quoque translato gaudia servitio —,

ubi Heins.: *sua.* Wernsd. P. L. M. 3. p. 187. v. 19:

Multa quoque affingit, mentitur et omnia: — cet.

p. 189. v. 35:

Obruta virgo iacet: servat quoque nomina turris.

Apud Vital. Bles. Amphitr. ed. Osann. v. 356. recte Vat.: *sumque ego* (Giss.: *sum ego*); male Darmstad.: *quoque*, et v. 426. legendum *bene;* vid. var. script. v. 162. et 532.

Sed iam ea conficiamus, quae de dictionis dulcedine annotavimus; apud Forc. ed. germ. s. v. *dulcis* sic definitur: „Dulcis scriptor is dicitur, qui cum elocutionis naturali quadam gratia, venustate et candore, rerum etiam suavitatem quandam coniungit. Gr. appellant hanc virtutem γλυκύτητα et ἡδονήν. Vid. Ernest. techn. lat. pag. 139. — *Dulcem* vocem Quint. 11, 3, 40. ad ornatam pronunciationem refert. Omnino ea, quae cum suavitate ad aures accidit easque demulcet." — Hermes. Leont. v. 35: ἡδὺν ἦχον καὶ μαλακοῦ πνεῦμ' ἀπὸ πενταμέτρου; nec videas, cur interpretes

v. 28. Homerum ἥδιστον δαίμονα μουσοπόλων vocari noluerint. *Orellius,* vir praestantissimus, ad locum Horatianum, quem supra produximus ex Epist. ad Pis. v. 99, affert Dionys. Halic. de composit. 10: ἡ δὲ Ἡροδότου σύνθεσις ἀμφότερα ταῦτα ἔχει· καὶ γὰρ ἡδεῖά ἐστι καὶ καλή: — quis fieri potuisse neget, ut Hermesianacti Homerus a dulcedine potissimum orationis praedicandus videretur? Adde Quint. 10, 1, 73: *dulcis et candidus et fusus Herodotus.* — Nimirum pulchritudo est artis, dulcedo ipsius dominae naturae, animi, pectoris, ut ita dicam. Haec illa est, quam *J. W. Goethius* intonat, cantilena:

Wenn ihr's nicht fühlt, ihr werdet's nicht erjagen,
Wenn es nicht aus der Seele dringt,
Und mit urkräftigem Behagen
Die Herzen aller Hörer zwingt. cet.
Doch werdet ihr nie Herz zu Herzen schaffen,
Wenn es euch nicht von Herzen geht.

— AXT.

V. 2.

Ser. Socr. relliq. dom.) h. e. familiae, vel sectae; sumtum ex Horatio C. I, 29, 14. *Seras* eius *relliquias* vocat sua carmina, quasi quae sero demum et extrema hac aetate sua quaedam philosophemata Socraticis sublegerint. In *seras* inest modesta significatio studii sui philosophiae, quam non ab ineunte aetate assiduoque studio perceperit, sed extrema vita, sui oblectandi caussa, tetigerit. Etiam in hoc auctor expressit Horatium, qui *seros studiorum* vocat Sat. 1, 10, 21. quos Graeci ὀψιμαθεῖς, leviter tinctos scientia, quia sero et raptim didicerunt; de quibus Gellius XI, 7. — WERNSDORF.

Domus Socratica Horatio lib. 1. Od. 29, 14. philosophia Socratis et disciplina:

Cum tu coemtos undique nobiles
Libros Panaeti, Socraticam et domum,
Mutare loricis Iberis
Pollicitus meliora tendis.

At Vestritius non philosophiam respicit, verum Socratis festivam in dicendo cavillationem, quam et domus eius, omnes Socraticae scholae philosophi consectati sunt, cum tota eius μαιευτικῇ, nemo tamen excellentius Platone. Erant ioci liberales, digni philosophiae gravitate. Post id, credo, certi homines spurcitiem omnem, levandae caussa invidiae, Socraticos iocos dixere. Ita εὐτραπελίαν Aristotelis aetate Graeci dicebant vitae genus plenum officiis, gratia, comitate, verbis quodam sale conditis, oris corporisque motu ad omnem honestatem et humanitatem composito. At Marci Tullii temporibus, ut solent virtutum et honestarum rerum nomina turpiculis praetexi, adeo nihil casti et decori ἐν εὐτραπελίᾳ et in urbanitate esse videbatur, ut Volumnius et Papirius Paetus vel ea caussa εὐτράπελοι haberentur, quod essent spurcissimi, Paetus adeo, ut eum Cicero reprimeret lib. IX, ep. 22: *Amo verecundiam.* Et iterum eximius orator: *Servo et servabo Platonis verecundiam.* Adi libr. VII, ep. 32. — Octavius Minucii Felicis c. 28: ***Apud vos tota impudicitia vocatur urbanitas.*** Paullus Apostolus ad Ephes. V, 4: Αἰσχρότης καὶ μωρολογία ἢ εὐτραπελία, quo loco εὐτραπελία, ut tum in ore vulgi erat, utrumque comprehendit, et αἰσχρότητα et μωρολογίαν, cui opponit εὐχαριστίαν s. comitatem, qualem c. IV, v. 29. descripsit, λόγον ἀγαθὸν πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας, ἵνα δῷ χάριν τοῖς ἀκούουσι. — Vestritius, ut eius mores in Neronis et Othonis contubernio fuisse comperimus, obsceni oris foetores *Socraticae domus relliquias* dixit, *seras* vero, cum tempus perpetui aevi inde a Socrate metiretur, a quo essent quasi ductae. BAYER.

Recte *Wernsdorfius* in Addend. ad Tom. 3, pag. 842. Tom. 4. Part. 2. istam *Bayeri* criminationem ex inani coniectura et nullo idoneo argumento pendere monet. Consentit ***F. A. Rigler*** in Progr. Clivens. 1829. p. 1. — Jam Barthius, *condimentum*, ait, *Socraticae venustatis dicit.* ***Nam ridibundus pleraque is philosophus docebat omnesque eius ad Platonem et Xenophontem disputationes suavem quandam ironiam praeferunt.*** — Cf. annot. ad v. 1. — *Seras* vocat

relliquias suas, qui senex poesi operam det, quum iam pridem philosophiam artesque bonas coluerit. Itaque etiam nunc scribit *iocos;* nam si non iam pridem litteris studuisset, non commemorasset *relliquias,* et si, quae *Rigleri* mei est sententia (l. l.) a toto hoc (iocandi) genere iam prorsus abstinuisset, non *iocos* appellasset *reliquias.* — Cf. annotat. ad v. 24. sqq. — Ad *Ser. Socrat. rell. dom.* cf. Cic. de Off. 1, 29: „Duplex omnino est iocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. Quo genere non modo Plautus noster et Atticorum antiqua comoedia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt." De orat. 2, 54. sqq. (Goeth. 14, 117. 32, 248. 46, 7. 23. 24. 27. 113. 182. ed. oct.) — Propert. 2, 34, 25:

> *Lynceus ipse meus seros insanit amores.*
> *Solum te nostros laetor adire deos.*
> *Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris*
> *Proderit? aut rerum dicere posse vias?* —

Hor. C. 3, 21, 9. Lucian. Paras. 32: ταῖς Σωκράτους διατριβαῖς ἐῤῥῶσθαι φράσας. Demon. 5: τῷ Σωκράτει ᾠκειῶσθαι. AXT.

V. 4.

Contemn. placit. nob. vir.) Scribam *mobilibus;* sed τὸ viris etiam valde vulgaritatem olet. BARTH. Nempe Barthius edidit *placitas * bilibus.* Mobiles Quirites quidem et mobile vulgus poetae dicunt, quod quasi vento opinionum agitur, sed *viros mobiles* hoc sensu dici vix arbitror, quod viro gravitatis notio proprie inest. Igitur *nobilibus* praefero. *Placitas* nomen aliquod, ad quod referatur, desiderat, quod nusquam invenio. Levi igitur mutatione lego *placitus,* atque his verbis puto rationem afferri a Spurinna, cur iocos vel philosophemata sua Socratica nolit nimium a Mario laudari: neminem enim eorum facile assensurum, qui nobilibus placere viris et studia eorum sequi malint. *Placitus nobilibus viris* est ille, qui cum Horatio sentit: *Principibus placuisse viris non ultima laus est,* Epist. 1, 17, 35; ideoque, ut placeat,

similia nobilium studia, honores, lautitias, voluptates affectat. Ille, inquam, ***contemnit eum, soli qui sapientiae senium dicat,*** et se ab honoribus et turbis omnibus segregat. ***Placitum*** pro accepto et grato dici, Gronovius docuit ad Stat. Theb. XII, 302, et lectionem nobilibus confirmat versus 17. odae 2, ubi similiter contra nobilitatem disputat. — ***Placitus nob. viris,*** idem est, ac, quem Horatius C. IV, 12, 15. dicit, ***iuvenum nobilium cliens.*** WERNSD.

Contemnit placitas) ***reliquias placitas,*** quae placuere et placent. Virgilius Aeneid. IV, 38: ***placitone etiam pugnabis amori?*** In Ciri: ***et placitum paucis ausa est adscendere collem.***

nobilibus viris.) In MS. ** ***bilibus:*** ergo Barthius ***mobilibus:*** malo ***nobilibus,*** ut dicat nobiles philosophos Socraticae domus eo modo, quo Horatius ***nobiles libros Panaeti.*** BAYER. Recte Wernsdorfius mihi videtur ***placitas*** mutasse in ***placitus,*** sed male distinxit. Scribendum: Contemnit, placitus nobil. vir. Sol. qui sap., Post fl. tep. nec stab. gr. Aetatis, sen. dic. Ment. cet. Constructio enim orationis haec est: Contemnit illos iocos, qui placitus nob. viris sap. soli sen. ment. comp. dicat. Semet ipsum enim dicit illos iocos parvi facere, postquam ex ambitionis occupatione (vd. Plin. Epist. 3, 1, 11.) emerserit, doctisque ac praeclaris viris probatus senectutem sapientiae honestissimoque otio dicaverit. RIGLER.

Wernsdorfii ***placitus*** ineptum et durum; nihil enim placiti istius indicium ad Marium, nihil ad Spurinnam, qui iam tales homines ne curat quidem, modeste autem suos ***iocos*** sive ***relliquias Socraticae domus*** abiicit, licet viris placuerint vel generis et munerum vel artium et litterarum ***nobilitate*** florentibus. Cf. Horat. Serm. 1, 10, 81:

Plotius et Varius, Maecenas Virgiliusque,
Valgius et probet haec Octavius optimus atque
Fuscus, et haec utinam Viscorum laudet uterque!
Ambitione relegata te dicere possum,
Pollio, te Messala, tuo cum fratre, simulque

Vos, Bibule et Servi, simul his, te candide Furni,
Complures alios, doctos ego quos et amicos
Prudens praetereo; quibus haec, sunt qualiacunque,
Arridere velim, doliturus, si placeant spe
Deterius nostra.

Ibid. 2, 1, 83:

— — — *Sed bona si quis* (sc. *carmina*)
Iudice condiderit laudatus Caesare?

Carm. 1, 1, 1—2; 35; ubi v. 29. qui Maecenatem poetam praedicatum stomachantur, quid urbana et benigna valeat amicitia erga viros primarios, qui qualicumque Minervae voluntate litterarum studia ad voluptatem exercent, non satis videntur reputasse, praesertim quum Horatius, poetica usus ***potestate quidlibet audendi,*** Augustum non dico in deorum numerum ***aggregare,*** cum Baccho et Hercule comparare, ***Jovis consilio inserere,*** Jovi imperii socium attribuere — nempe deus vulgo habebatur — sed ultro omnibus Romanis et Graecis ducibus praeponere minime dubitaverit. ***Sed,*** inquit, ***neque alibi Horatius aut Virgilius aut Propertius carminum patroni sui mentionem fecerunt*** (Matth. Adumbrat. Litt. Gr. et Lat. ed. 3. p. 186—7.). — Horatius satis illustri loco mentionem fecerit, quoad per te licebit. Virgilius, Propertius ipsi viderint, quid cogitarint. Ne Spurinnam quidem ***carmina mirae dulcedinis scripsisse*** sciremus, si Plinius non esset. Haec lubrica argumenta. — Propertius, ut par est, dominae soli vult probari, 2, 10, 11—14. Ceterum si quaeris, huc etiam pertinent: Virg. Georg. 3, 42. Tibull. 2, 1, 35. Propert. 3, 7, 47. sqq. Ovid. Fast. 1, 15—18. Stat. Silv. 1, 4, 19—23. — ***Placere*** proprie dicitur de poetis et artificibus: Terent. Andr. Prolog. 3, Eunuch. Prolog. 1, Horat. Epist. 1, 19, 2, ad Pis. 365, Sermon. 1, 10, 89, Carm. 3, 4, 24, Vital. Blesens. Amphitr. ed. Osann. v. 11:

Carmina composuit voluitque placere poeta.

Sueton. Ner. 42. Galb. 12, quibus exemplis auge sis Forcell.

De locutione *placitus* pro eo, quod est *quamvis placitus*, cf. Broed. Gr. Lat. §. 406, Weissenb. §. 198, 6, Horat. C. 2, 8, 20, cuius strophae pars prior in nitidissimis Orellii exemplis turpiculo typographico vitio deformata est. — Idem participii genus expunxerunt apud Caes. B. C. 3, 57, 2. qui magno concinnitatis damno post *expertum* maius signum posuerunt; vid. ed. Oud. AXT.

V. 5—8.

Soli qui sap. Post flor. tep. — — sen. dic. Ment. compos.) Florem vocat ἀκμὴν aetatis. Apuleius: *Aetatis florem floribus ut decores.* Ita et Curt. libro VII. — *Tepidum* vero nimis quam eleganter, qui neque caloris, ut vir, neque frigoris, ut senex, imperio regatur, sed facile et incalescat et refrigescat; αἱ γὰρ τῶν νεῶν ἐπιθυμίαι ταχεῖαι καὶ αὐταὶ πολλάκις ἑαυταῖς ἐναντίαι, ait suavissimus nugonum Aristaenetus. Sic *tepentem affectum* aut amicitiam pro mobili nescio quis scriptor dixit. BARTH. *Florem tepidum* dicit iuventutis, non alia ratione, quam quod iuventus comparatur veri, quod tempus tepidum est, ut frigida senectus hiemi. Sic enim in versu Publii Syri ciconia *titulus tepidi temporis* i. e. nuntia veris nominatur. Alio respectu *calida iuventus* dicitur ab Horat. C. 3, 14, 27. [*calidus iuventa.*] — *Gradus non stabilis aetatis* est, quae per incerta fortunae, per varios honorum munerumque gradus transit, alia post alia appetit, nunquam consistit, nec secum manet; quae est ipsa iuventus et media aetas. — Alio respectu *constans* aetas media dicitur a Cicerone, quae post studia iuventutis consecuta est, quos voluit, honores, in Cat. mai. c. 20: „Sunt et ineuntis adolescentiae studia; num ea iam *constans* requirit aetas, quae *media* dicitur? — *Bayerus* hos versus ita distinguit:

Soli qui sapientiae,
Post florem, tepidum nec stabilem gradum
Aetatis, senium dicat
Mentis compositae. —

Senium mentis compositae **(nam haec copulanda) est senectus, quacum coniuncta est *mens composita* et maturitas consilii. Sic *animus senilis* dicitur Claudiano, Cons. Prob. v. 154, qui proprie senibus esse solet. WERNSD.**

Tepidum, **quo sensu praetextatum est Horatio, Ode I, IV, 19:**

quo calet iuventus
Nunc omnis et mox virgines tepebunt.

Etiam *adolescentes tepidos* dixere Romani, propter aetatem lasciviae obnoxiam; *non stabilem gradum,* proclivem in vitia. Et *florem* Vestritius, ut *ver* Catullus ad Manlium:

Tempore, quo primum vestis mihi tradita pura est,
Iucundum cum aetas florida ver ageret,
Multa satis lusi.

Instabili et tepido gradui adolescentiae *senium mentis compositae* opponitur. Senec. Epist. II: *Primum argumentum compositae mentis existimo, posse consistere et secum morari: ista lectio multorum auctorum habet aliquid vagum et instabile.* Anicius Boethius initio Consolationis philosophicae; *Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.* Idem l. c. metro IV:

Quisquis composito serenus aevo
Fatum sub pedibus dedit superbum.

BAYER.

Sane *tepidus* de vere dicitur, ut a Grat. Fal. v. 295:

Dum tepida indulget terris clementia mundi; —

Cf. Lips. ad Pervig. Ven. 15. — Ad locum Horatianum a Wernsd. allat. adde Epistol. ad Pis. 115:

Maturusne senex, an adhuc florente iuventa
Fervidus.

Juvenal. 10, 217—18. de sene:

Praeterea minimus gelido iam in corpore sanguis
Febre calet sola. —

Cur *Bayero tepidus gradus* magis placuerit, quam *tepidus*

flos, non video; praesertim quum his signorum artificiis in veterum scriptis non multum efficiatur; raro illi oculis scripserunt; auribus et rationi maluerunt scribere. Ut igitur melius diceretur ***tepidus gradus,*** tamen animus legentis sua sponte ***tepidum*** ad ***florem*** referret, quoniam per Latinitatem potest dici ***tepidus flos.*** Vid. quae sub fin. huius annot. de enallage dicta (p. 44-45); neque opus est quod olim conieci: ***trepidum.***— Simonid. (Br. Gnom. p. 128. ed. 1817.) v. 5:

πάρεστι γὰρ ἐλπὶς ἑκάστῳ,
ἀνδρῶν, ἥτε νέων στήθεσιν ἐμφύεται·
θνητῶν δ᾽ὄφρα τις ἄνθος ἔχῃ πολυήρατον ἥβης,
κοῦφον ἔχων θυμόν, πόλλ᾽ ἀτέλεστα νοεῖ.

Flos pariter atque ἄνθος (vid. Passov.) de pueritia eiusque pulchritudine, vigore et gratia ponitur (vid. Forc.), et interdum decus virginitatis et pudicitiae significat: Cic. Phil. 2, 2: ***aetatis flore.*** Liv. 21, 2. Senec. Cons. ad Marc. 20: ***in flore.*** Maneth. Apotel. 6, 179:

αἴδε βίῃ δμώεσσιν ἢ οὐτιδανοις ὑπὸ φωσὶν
δμηθεῖσαι θολεροῦς ὥρης ἄνθος διόλεσσαν. —

Krebs. Antib. p. 224. monet ***florentem aetate*** esse apud Cic. ad Fam. 2, 13. hominem ***quadraginta annos natum.***

De ***gradu*** aetatis, quod est artis vocabulum, cf. ***Censorin.*** de Die natal. ed. Haverc. c. 14: „Igitur expositis iis, quae ante diem natalem sunt, nunc, ut climacterici anni noscantur, quid de ***gradibus*** humanae vitae sensum sit, dicam." —

Nec ***stabilem*** dictum est pro eo, quod est ***et non stabilem*** vel ***instabilem;*** Cic. de Orat. 2, §. 277: ***videretur mollior, nec esset.*** Audacius etiam Ovid. Met. 13, 108.

Nec non onerosa gravisque
Pelias esse potest imbellibus hasta lacertis. —

Ad locum a Wernsd. e Cic. de Senect. allat. vid. Gernh. et cap. 10: „Cursus est certus aetatis et una via naturae, eaque simplex; suaque cuique parti aetatis tempestivitas est

data; ut et infirmitas puerorum et ferocitas iuvenum' et gravitas iam *constantis* aetatis et senectutis maturitas naturale quiddam habeat, quod suo tempore percipi debeat." —, ubi affert Gernh. Virg. Georg. 3, 165. Cic. pro Q. Rosc. 16, 49. — Ceterum ex eodem cap. 20. libri Ciceroniani, qui est de senectute, item de Legg. 1, 15. de Orat. 1, c. 18. §. 81. 2, c. 85. §. 346. Zumptium Gr. Lat. §. 787. fin. §. 819. ed. nov. errare disces. Sed illuc, unde abii, redeo: cf. Senec. Cons. ad Marc. c. 20: „O ignaros malorum suorum, quibus non mors ut optimum inventum naturae laudatur: quae sive felicitatem includit, sive calamitatem repellit, sive satietatem aut lassitudinem senis terminat, sive iuvenile aevum, dum meliora sperantur, *in flore* deducit, sive pueritiam ante *duriores gradus* revocat, omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum, de nullis melius merita, quam de his, ad quos venit, antequam invocaretur." —

Sal. Bass. ad Piss. (W. P. L. M. 4, 1, p. 280.) v. 247:

Est mihi, crede, meis animus constantior annis;
Quamvis nunc iuvenile decus mihi pingere malas
Coeperit et nondum vicesima venerit aestas.
Quod si tam validae mihi robur mentis inesset,
Et solidus primos impleret spiritus annos,
Auderem voces per carmina nostra referre,
Piso tuas: sed fessa labat mihi pondere cervix
Et tremefacta cadunt succiso poplite membra.

Phaedr. Fab. 1, 2, 3:

Aetatis mediae mulier quendam non rudis
Tenebat, annos celans elegantia.

Hesiod. Fragm. 65:

ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων.

Fragm. 61. scribendum videtur: ἀεὶ ἀΐδηλα τίθεσκεν. —

Senium coniunxerunt cum *mente composita;* sed fieri potuit, ut Vestritius genitivum e *qui* pronomine aptum esse vellet (v. 5.) sive, ut olim opinabantur, ex omisso *ens* par-

ticipio, vid. Sanct. Min. p. 571. ed. Periz., ut apud Plin. Ep. 3, 1: *uxorem singularis exempli;* Liv. 2, c. 6. §. 2: *ne se ortum, eiusdem sanguinis, extorrem — — perire sinerent;* cap. 9. §. 1: *ne se, oriundos ex Etruscis, eiusdem sanguinis nominisque* cet., 2, 38, 5: *Urbem non hostium ducitis,* et Cic. de Senect. §. 56: *Supervacanei operis aucupium,* et apud Caes. de B. G. 5, 6, 1: *eum — — magni animi — — cognoverat.* — Libri Livian. allat. cap. 7. §. 4. habebit *Krebsius,* quod notet (Antib. p. 410.). — De genitivo illo cf. etiam quae ad Vestr. 1, 21. annotavimus et Weissenb. Gr. Lat. §. 215. — Ad *mentis compositae* Barthius affert Senec. Cons. ad Helv. c. 16: *qui rationi paret in perpetuum componitur,* et explicat: *praeceptis sapientiae exutae a feritate affectuum lancinantium.* — Adde Petron. 4: „Quodsi paterentur laborum gradus fieri, ut studiosi invenes lectione severa initiarentur, ut sapientiae praeceptis animos componerent," cet. Senec. ep. 2: „composita mens"; 40: „hoc non probo in philosopho, cuius — vita debet esse composita." Tacit. A. 13, 1: „vir aetate composita." Quint. 6, 2: „mites et compositi affectus." Vid. Forc. — Supervacanea est Heynii dubitatio Aen. 1, 249; pervulgata enim est, quae dicitur, enallage (Aen. 7, 339.), qua aeque dici potest *homo animo compositus* atque *homo animo composito; pacis* autem vox, quae est animi conditio, posita est pro animo ipso. Quint. 4, 5: *incompositus moribus;* quod Forc. explicat: *qui moderatus ac patiens non est, sed facile ira aliove affectu turbatur.* — Late quidem patet hoc genus, sed si adiectivum ita comparatum est, ut, quum ad alterutram rem accommodatur, non simul aliqua ratione ad alteram possit pertinere, ineptissime enallagen statui perspicuum est. Cf. Reisig. Schol. de Gr. Lat. hab. ed. Haas. p. 634. p. 883. et Annotat. ad Vestr. 1, 12—13. Itaque vereor, ut apud Sophocl. Oed. Tyr. 161. κυκλόεντ' pro κυκλοέσσας dictum videri possit. Romani quidem non aequiparant Graecos insolentia huius usus; sed tamen haec quoque audacula: Horat. Carm. 3, 21, 19—20: *iratos regum apices;* Propert. 2, 20, 8:

Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba
Sollicito lacrymas depluit e Sipylo.

Rara huius figurae exempla apud Homerum, velut Il. 6, 526:

ἀλλ' ἴομεν· τὰ δ'ὄπισθεν ἀρέσσομεθ', αἴ κέ ποθι Ζεὺς
δώῃ, ἐπουρανίοισι θεοῖς ἀειγενέτῃσιν
κρητῆρα στήσασθαι ἐλεύθερον ἐν μεγάροισιν.

Apud Aemil. Mag. Arbor. Eleg. ad Nymph. nimis cultam (Wernsd. 3. P. L. M. 3. p. 219.) v. 29. pro:

Non ego sum pro quo tu componendo labores, —

repone *componenda;* nam hic poeta indignus hoc naevo, quem etiam notavit *F. Osannus,* vir navus et ingeniosus, prooem. ad Vital. Bles. XV.; sed quod idem ait, Vitalem *primam syllabam vv. praeito et praeuntem corripere* (v. 477.) *et deest monosyllabum proferre maiorum clarissimorum exemplo ausum esse* scilicet, miror. Nam *prae* istuc *vulgo* corripitur (Zumpt. Gr. L. §. 15.) et *deest, deerit, deero, deerunt, deerrare, deinde* ab optimis Latinitatis auctoribus nisi per Synizesin non videntur dicta: Virgil.: *Deest iam terra fugae, pelago Troiamne petamus* (Zumpt. §. 11.). Neque offendere debebat Osannus in producto *hic, hoc* pronomine (v. 209.); vid. Zumpt. Gr. L. §. 24. Weissenb. Gr. L. §. 20. annot. 2. G. F. Grotef. 2, §. 21, 2. Hor. Serm. 1, 3, 24. Virg.: *Hoc illud germana fuit.* Prop. 2, 19, 1: *Hoc erat inprimis.* — Sed ad propositum. — Apud Ovid. Am. 2, 5, 22. etiam si dis placet

Compositi iuvenes unus et alter erant.

Idem de vetere Cupidinis milite A. A. 3, 572:

Ista decent pueros, aetate et amore calentes;
Hic fera composita vulnera mente feret.

Restat, ut in fine huius annotationis propter totam sententiam adiiciamus Pers. ad Cornut. (5, 34. sqq.):

Cumque iter ambiguum est et vitae nescius error,
Diducit trepidas ramosa in compita mentes,
Me tibi supposui. Teneros tu suscipis annos

Socratico, Cornute sinu. Tunc fallere sollers
Apposita intortos extendit regula mores.
Et premitur ratione animus vincique laborat.

Plat. Sympos. p. 219. A. Hom. Il. 3, 108. Soph. Oed. Col. v. 1229. sqq.:

ὡς εὖτ' ἂν τὸ νέον παρῇ
κούφας ἀφροσύνας φέρον
τίς πλάγχθη πολύμοχθος ἔ-
ξο; τίς οὐ καμάτων ἔνι;
φόνοι, στάσεις, ἔρις, μάχαι
καὶ φθόνος. —

Br. Gnom. p. 306. p. 330.:

γῆρας διδάσκει πάντα καὶ χρόνου τριβή. —
σοφὸν λέγουσι τὸν χρόνον πεφυκέναι.

Atqui, quod sane dolendum, non minus vere ibidem:

πολιὰ χρόνου μήνυσις, οὐ φρονήσεως. —

et cavendum, ut Creon apud Soph. Antig. v. 281. ait,

μὴ 'φευρεθῇς ἄνους τε καὶ γέρων ἅμα. —

Res praeclarissima et rarissima contigit Iulio Agricolae, cuius Tacito teste c. 4. *scilicet sublime et erectum ingenium pulchritudinem ac speciem excelsae magnaeque gloriae vehementius, quam caute appetebat. Mox mitigavit ratio et aetas, retinuitque, quod est difficillimum, ex sapientia modum,* et quidem in medio honorum laborumque cursu. —

V. 183. tragoed. Soph. allat. ed. Wund. si *Bentleius* ad Ter. Adelph. 2, 2, 15. huius οὐδαμοῦ memoriam tenuisset, *usquam,* credo, non attribuisset correctoribus. —

V. 189. male Schol. ἡ πόλις δηλόνοτι; ita enim in promtu est v. 187. χθών; sed cogitavit poeta bonam reipublicae administrationem, quae continetur in voce σωτηρίας v. 186. — V. 231. teneo ὀξύμωρον: σχολῇ ταχύς; vid. 388. et 253; nam non se celeritate exanimatum accessisse negat, sed nihil promovit, ut ὁδοὺς κυκλῶν ἑαυτὸν εἰς ἀναστροφήν;

reapse igitur fuit σχολῇ ταχύς, *cum tardidate citatus.* — V. 313. Scribo λημάτων (vid. v. 176. sq.), ut nova sententia sequatur, praesertim quum eadem v. 325. sq. recurrant. Nimirum *mala mens, malus animus* (Terent. Andr. 1. 1, 137. (Tib. 2, 5, 103. Fr. Jacobs. Flor. Poet. Lat. 2. p. 26.) Quint. 12, 1, 41.). — V. 365. scribo παραίρων, et v. 371. φρονοῖμ'. — AXT.

V. 8 — 11.

qualis ab ard. Ad se vers. lab.. Quos non det patr., sep. sibi Annos.) *Ab* potest cum participio *versa* coniungi, sed tamen etiam per se stat; vid. Passov. s. v. ἀπὸ, B. Turs. Hand. 1. p. 45. — In MS. fuit: *adarduus* et *pa* * aut, ut Wernsd. refert: *pa* * *ae* pro *patriae;* correxit *Barthius,* qui ad verba *ad se versa* haec annotavit: „Quietem intelligit Philosophis omnibus affectatam. Claudianus Panegyrico Manlii. Eam post turbas negotiorum omnes magni Ductores et magistratuum potentes apud priscos secuti. Quorum nemo fere non senium suum in secessu aliquo quieto consumsit. Coniicere hinc licet, *Spurinnam,* hunc magnatem aliquem fuisse et optimam aetatem ambitione negotiorum contrivisse, senectutem otio et litteris dedicasse. Tales fuerunt plerique eruditorum, Silius Italicus, Pomponius Atticus, L. Sulla, Lucullus aliique, quos nominare longum." —

Wernsdorfius: „Qualis sc. composita, ea mens est, quae *ab ard.* cet. Imitatus Plinium, aut Spurinnam Plinius videtur, Epist. IV. 23: *Prima vitae tempora et media patriae, extrema nobis impertire debemus.* Senec. de brev. vit. c. 20: *Senectutem nullo alio nomine gravem iudicant, quam quod illos seponit.* — Ovid. M. XIII. 302. *Primaque sunt illis data tempora, cetera nobis."* — — *Bayer:* „Quod otium erat honestum atque liberale reipublicae muneribus defuncto. Sallustius principio Catilinariae historiae: *Ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit et mihi reliquam aetatem a republica procul habendam decrevi."* —

Haec *Bayer.* — Adde Vestr. 2, 3; 5 — 6; 8. Cic. Cat. mai. c. 14. §. 49: *At illa quanti sunt, animum tanquam emeritis stipendiis libidinis, ambitionis, cet. secum esse, secumque, ut ita dicam, vivere?* — Lucian. Pisc. 29: ταῦτα μὲν, ὦ Φιλοσοφία, καλὰ ὡρμήσας, ἠξίουν ὁπόσον ἔτι μοι λοιπὸν τοῦ βίου, καθάπερ ἐκ ζάλης, καὶ κλύδωνος, ἐς εὔδιόν τινα λιμένα ἐςπλεύσας, ὑπὸ σοὶ σκεπόμενος, καταβιῶναι.

Senec. de br. vit. c. 18: *Maior pars aetatis, certe melior, reipublicae data sit: aliquid temporis tui sume etiam tibi.*" — (Sed non raro eximia, electa *seponuntur;* vid. Lex.; Tacitus *principatum D. Nervae et imperium Traiani, uberiorem securioremque materiam, senectuti seposuit,* Hist. 1, 1, 1.) Lindin. de aetate (Wernsd. Poet. Lat. Min. 3, p. 415.) v. 1 — 4, 8:

Vitam vivere si cupis beatam
Et votis Lachesis dabit senectam,
Annos ludere te decem decebit;
Viginti studiis dabis severis. —
Sexaginta tuo satis fruaris.

Vid. Wernsd. ad. v. 20. — Lucan. Ph. 2, 380:

— — *Hi mores; haec duri immota Catonis*
Secta fuit, servare modum, finemque tenere.
Naturamque sequi, patriaeque impendere vitam;
Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.
Huic epulae, vicisse famem; magnique penates,
Submovisse hiemem tecto: pretiosaque vestis,
Hirtam membra super, Romani more Quiritis
Induxisse togam: Venerisque huic maximus usus,
Progenies; Urbi pater est, Urbique maritus,
Iustitiae cultor, rigidi servator honesti:
In commune bonus: nullosque Catonis in actus
Subrepsit, partemque tulit sibi nata voluptas.

Cic. de Off. L. 1, c. 6. §. 1 — 7. C. 7. §. 5 — 6. (Intrpp.): „Virtutis enim laus omnis in actione consistit: a qua tamen fit intermissio saepe, multique dantur ad studia reditus: tum agitatio mentis, quae nunquam acquiescit, potest

nos in studiis cognitionis, etiam sine opera nostra, continere. Omnis autem cogitatio motusque animi aut in consiliis capiundis de rebus honestis et pertinentibus ad bene beateque vivendum, aut in studiis scientiae cognitionisque versabitur. — Sed quoniam, ut praeclare scriptum est a Platone, non nobis solum nati sumus, ortusque nostri partem patria vindicat, partem parentes, partem amici; atque, ut placet Stoicis, quae in terris gignantur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum caussa esse generatos, ut ipsi inter se aliis alii prodesse possent: in hoc naturam debemus ducem sequi, communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiundo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus, devincire hominum inter homines societatem." —

Arduus, ut Forc. ait, translate ponitur pro ***difficili, molesto, laborioso;*** Gell. 4, 15. Tac. A. 1, 11: ***arduum — regendi cuncta onus.*** Hor. 2. 3, 1:

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem cet.

Pro ***det,*** quod in MS. fuit, scripserunt Barth., Wernsd., Bayer ***dat***; male; coniunctivus enim significat cogitationem eius, qui seposuit; seposuit autem est perfectum, non aoristus, et annos Spurinna etiamnunc habet sepositos. AXT.

V. 11.

orba, lucro gravi.) ***lucro gravi.*** Ita scripsi. MS. ***lco gravi.*** Nescio, an quid aliud subsit. BARTH. ***Orba lucro gravi*** h. e. seiuncta vel aliena a cupiditate lucri vel emolumenti. ***grave lucrum est,*** quod sine molestiis et periculis non capitur, ut graves ***principum amicitias*** dixit Horat. C. II, 1, 3. Possis tamen et legere ***orba loco gravi*** h. e. cum desiit esse gravi aliquo et honorato loco in republica. ***orbus*** est e peculiaribus Spurinnae vocabulis. vide vers. 19 od. 2. WERNSDORF.

Lucro ait mentem carere, quod molestiam et fastidium contineat. Terentius in Heautont. A. IV. Sc. IV. v. 25: ***nae ille haud scit, paullum lucri quantum ei damni apportet.*** BAYER.

Loco scripturae codicis magis respondet; ad hoc apud Celsum quoque est ***loc. grav.*** 1, 3., quanquam alia vi. Sed ***lucro*** eo commendatur, quod postea de ambitione agitur, lucri autem cupiditas istis temporibus illius erat socia et optimi quique ab ea non prorsus alieni, ut modo nimius quaestus notaretur. Cic. Tusc. 5. 32. Ovid. Fast. 1, 139:

Vix ego Saturno quemquam regnante videbam,
Cuius non animo dulcia lucra forent.

Cf. de voce ***orbus*** Ovid. ex Pont. 1. 2. 44. ***nox orb. malis.*** Horat. C. 4, 2, 44. Vestrit. 2, 7. AXT.

V. 12 — 13.

Ut non amb. tegm. cand. Illud. gr. sp.) Suppleri poterat ***Ingrato*** vel ***fucato.*** BARTH. — Malim ego ***Albato*** vel ***cretato,*** ob togam candidam, quae ***tegmine*** significatur. unde candidati, qui ambiunt honores, et ***cretata ambitio*** dicitur Persio V, 177. ***Illudat,*** sollicitet et decipiat. ***gravidae spei,*** quae quasi foecunda multorum votorum est, alios ex aliis honores sibi fingit et appetit. Explicat Seneca de benef. II, 27: ***Ambitio non patitur quemquam in ea mensura honorum conquiescere, quae quondam eius fuit impudens votum. Nemo agit de tribunatu gratias: sed queritur, quod non est ad praeturam usque perductus. nec haec grata est, si deest consulatus. ne hic quidem satiat, si unus est. Gravidus*** iterum hoc sensu infra v. 4. odae 3. Tegmen pro veste argentea latinitate usitatum. ***detrita tegmina*** pro vestimentis detritis dicit Tacitus Ann. I, 18. ***Sericeum tegmen*** est in Eucheriae carmine v. 3. WERNSDORF.

cum non amb.) Erat in MS. * * ***ambitio tegmine candida.*** Credidi initio, ***tegmine candido*** esse ***capite operto canis,*** qua quis aetate non ultra honores ambiat, ut apud Virgilium

Tityrus: *candidior postquam tondenti barba cadebat.* Malim vero nunc *ambitionem tegmine candidam.* Respicit non modo candidatos priscos, sed etiam ambitionis speciem externam, laetam illam quidem, at cum interiori molestia coniunctam: candidam, splendentem et laetam, ut Catullus *candidos soles.* Ambitio illudit *gravidae spei. Gravida,* quod spes alia nascatur ex alia, et subinde nos recreet: habet enim ψεύδεα θ'αἱμυλίους τε λόγους in pectore: tandem saepe atque multum ab ambitione atque spe illusus animus, rebus quas speraverat partis, neque expletus tamen, istuc Aiacis Sophoclei ingemiscit, ὤ μοι γέλωτος, οἷον ὑβρίσθην ἄρα. BAYER.

Coniectura reponunt *ingrato, fucato, albato* vel *cretato.* Haec omnia rei ipsi bene conveniunt. Sed adiectivorum *albato* et *cretato* vis ac significatio iam continetur voce *candida:* duo autem priora, cum *grave* praecedat, hac ipsa significationis similitudine minus commendantur. Praeterea requiritur aliquid, unde pendeat verbi coniunctivus *illudat.* Baier coniecit *cum non.* At postulatur potius *cum non amplius.* Equidem opinatus sum legendum esse: *Quem non — candida — gravidae vel gravida spei?* — Horat. Serm. I, 6, v. 23. Sall. Coni. Cat. c. 11: Nam gloriam, honores cet. RIGLER (Progr. Cliv. p. 19.).

Aptissimum mihi visum *ut non,* cf. 2, 18. Olim conieci: *Quam non.* — Sed sic quoque *Rigler* desiderabit *amplius;* non opus; immo ea ipsa ratio inprimis Latina, et multi sunt eiusmodi loci, quibus nos varia additamenta requirimus, velut Cic. de Orat. 2, c. 60. §. 254: *sed domina natura;* vid. Wolff. et Dilth. Item non raro dicuntur *manere, sperare,* al., ut *iam, etiam* non addatur. Similia sunt apud Hand. Turs. I. p. 478. sqq. Georg. lex.: s. v. *also.,* Reis. schol. de Gr. L. hab. p. 412. lin. 13. sqq. infr. Weissenb. Gr. L. §. 345, 2. 7. §. 347. §. 408. Krebs. Ant. p. 449. lin. 18. infr. Adde Liv. 2, 21, 11: *Adparebat caussa plebi,* [scilicet] *suam vicem indignantem magistratu abisse.* Cic. de Orat. 2, 79, §. 323: *quod et attenti tum maxime sunt, quum omnia* [etiam] *exspectant.* Caes. B. C. 2, 4: ut [etiam] *tum ac-*

cidit. Vid. Herzog. Cic. de N. D. 3, 6, §. 15: id *quod* [*etiam*] *evenit.* Haec res multiformis. — Ita apud Tacit., Agr. 18. fin., post *quantum* desideramus *tum.* — De Mor. Germ. 21. f. ante *Victus: omnino.* Ne Graecum exemplum desit, appono Plat. Symp. p. 208. D.: ἣν νῦν ἡμεῖς [καὶ] ἔχομεν. Contra Antig. Soph. v. 717. Br. abesse potest τὸ λοιπὸν, nullo sententiae damno, imo cum poesis commodo, si quid sapio.

De sententia cf. Vestr. 2, v. 6 — 13. 15. cet. Pentad. de. vit. beat. (Wernsd. P. L. M. 3. p. 405) v. 1 — 2. 10 — 14:

Non est, falleris, haec beata, non est:
Quod vos creditis esse, vita non est: —
Sed nullos trepidum timere casus,
Nec vano populi favore tangi,
Et stricto nihil aestuare ferro.
Hoc quisquis poterit, licebit illi
Fortunam moveat loco superbus. —,

ubi affert Wernsdorfius Senec. Thyest. 348: ***Rex est, qui posuit metus, Et diri mala pectoris: Quem non ambitio impotens, Et nunquam stabilis favor Vulgi praecipitis movet.*** — Horat. C. III, 3. Tusc. V, 21., Horat. III, 1, 17. Adde Cicer. de Orat. 3, 2, §. 7: „O fallacem hominum spem fragilemque fortunam nostram et inanes contentiones! quae in medio spatio saepe franguntur et corruunt et ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt. Nam quamdiu Crassi fuit ambitionis labore vita districta, cet." — Senec. de V. B. c. 5, Virg. Cul. 78, G. 2, 499, Horat. Epist. 1, 2, 51, Carm. 3, 3, Juvenal. 13, 196. sqq. — Hor. Epist. 1, 1 (70.) 76. 19, 37. 2, 1, 18; 108. C. 1, 1, 7. (Mitsch.), 2, 2, 19, Virg. G. 2, 495; 502, Ovid. Tr. I, 9, 13, Senec. Hippol. 484. sqq., Claudian. 17. init., 26, 113, Sall. Jug. 66: ***volgus — — ingenio mobili.*** Quod apud Athen. Lib. XIV. p. 631. f. est de musica: τὸ παρὰ τοῖς ὄχλοις εὐδοκιμεῖν, σημεῖον κακοτεχνίας, omnino dici potest. — Hic locum habent, quae ***Barthius*** male ad v. 4. annotavit: „Porro

contemtum praeconiorum a vulgo tanquam legitimus philosophus prae se fert. Eo pertinet hoc Ciceronis pro Murena: *De omni studio favoris publici dictum putes: totam opinionem parva nonnunquam commutat aura favoris; nihil est incertius vulgo, nihil obscurius voluntate hominum*, caet. Idem pro domo sua: *quod in imperita multitudine est vitiosissimum, varietas et inconstantia et crebra tanquam tempestatum, sic sententiarum commutatio.* — Quo pertinet eiusdem Ciceronis pro Plancio: *Non est enim consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia.* —, et Senecae Ep. 72: *omnia vulgi citro ultroque fluunt.* Seneca alter eleganter Hercule Furente:

Non illum populi favor attonitum
Fluctuque magis mobile vulgus
Aura tumidum volvit inani.

De gloriae contemtu vid. M. Antonin. 4. τῶν εἰς ἑαυτόν. —, Boeth. de Cons. ph. 2, 7. alios." Haec Barth. — Senec. Ep. 104. init.: *Honores iudicas bonum? Male te habebit ille consul factus, ille etiam refectus: ringeris, quotiens aliquem in fastis saepius legeris. Tantus erit ambitionis furor, ut nemo tibi post te videatur, si aliquis ante te fuerit.* Cic. de Off. 3. §. 84. Sophocl. Antig. 221. sq. 365. sqq. 615:

ἁ γὰρ δὴ πολύπλαγκτος ἐλπὶς
πολλοῖς μὲν ὄνασις ἀνδρῶν,
πολλοῖς δ' ἀπάτα κουφονόων ἐρώτων.

Simonid. l. l. ad. v. 6, pag. 42., Anthol. Lat. ed. Meyer. Epigr. 932. Eleg. de Sp. (Wernsd. P. L. M. 3. p. 279.) — Plat. Sympos. p. 208. C.: ἐπεί γε καὶ τῶν ἀνθρώπων εἰ ἐθέλεις εἰς τὴν φιλοτιμίαν βλέψαι, θαυμάζοις ἂν τῆς ἀλογίας περὶ ἃ ἐγὼ εἴρηκα, εἰ μὴ ἐννοεῖς ἐνθυμηθεὶς ὡς δεινῶς διάκεινται ἔρωτι τοῦ ὀνομαστοὶ γενέσθαι cet. Nimirum teste Pericle (Thuc. 2, 44.) τὸ φιλότιμον ἀγήρων μόνον.

Peccant hoc loco *Wernsdorfius* et *Bayer.* Wernsd. obruit epithetis ambitionem; et cum *ambitio* et *spes* hoc loco eadem fere sint vi, vel altera continere possit alteram, non licet dicere, alteram *illudere* alteri. Itaque, nisi haec ut v. 8.

mentis compositae dicta voles, ut genitivus ex *ambitione* vel e *tegmine* aptus sit, *gravidae* refer ad *mentem*, ut *spei* sit genitivus, qui pendeat e *gravidae*. Ipse *Bayer* verum videtur subsensisse, quum parum sibi constans *ab ambitione atque spe illusus animus* interpretetur. Magis autem perspicua esset oratio, si *gravidam* scriberes; sed non opus: cf. Sall. B. C. c. 20: *contra illis* (,) *annis atque divitiis* cet. Horat. Serm. 2, 1, 16. W. Poet. Lat. M. 3, p. 187. v. 19. Cic. Catil. 3, 7. §. 17. f. Divinat. 2, 9. §. 23. — Ceterum *gravidae*, si est dativus, dictum per prolepsin; vid. annot. ad v. 18. pag. 62. —

Probe Vestritius scripsit *tegmine candida*. Intus enim est nigra; vid. Bayeri annotat. Itaque necessaria erat hoc loco epitheti enallage, qua si poeta non usus esset, *tegm. candido* facile videretur otiosum additamentum. Loci eiusmodi sunt rarissimi; plerumque enim poetae hac locutione id tantum spectant, ut neglecta vulgari dicendi consuetudine orationem reddant splendidiorem et graviorem. Utrumque modum coniunxit Stat. Silv. 3, 5, 11:

Dic tamen unde aliā mihi fronte et nubilā vultu —,

et Virg. Aen. 5, 295:

Euryalus forma insignis, viridique iuventa. —

Horat. Serm. 2, 2, 49:

Tutus erat rhombus tutoque ciconia nido.

Ubique fere salva sententia dicendi ratio potest inverti, velut apud Ovid. Art. Am. 3, 330: *vinosi Teïa Musa senis.* Virg. G. 2, 285. 541. 4, 367. Aen. 2, 274. 765. 5, 536. 6, 353. Horat. 3, 1, 42. 3, 3, 61. 21, 19. 1, 3, 40. Epod. 2, 43. Lucil. Aetn. 1. Maximam constat esse in hoc genere Graecorum audaciam, velut Soph. Antig. 794: νεῖκος ἀνδρῶν ξύναιμον. Euripidis Suppl. 50—53:

ἐσιδοῦς οἰκτρὰ μὲν ὄσσων
δάκρυ' ἀμφὶ βλεφάροις, ῥυσ-
σὰ δὲ σαρκῶν πολιῶν
καταδρύμματα χειρῶν·

E Graecis multa exempla congessit *Lobeckius*, homo exquisita doctrina pereruditus, ad Aiac. v. 7; de Latinis vide, quae ad Vestr. 1, 5—8. (p. 44.) 2, 20—21. fin. annotavimus. Adde Horat. Epod. 16, 8. *caerulea pubes*, Soph. Antig. 964. Br.: *εὔϊον πῦρ*. Ne prosae quidem orationis scriptores hoc genere abstinuerunt, velut Livius 8, 18. extr. videtur *captas mentes* posuisse (39, 13. extr.). Item 2, 39, 7: *externus timor*. 45, 5: *externa* et *domestica odia*. 2, 46, 4: *genus — insigne spectaculo — civibus*. Tusc. 5, 21: *mensae epulis conquisitissimis exstruebantur*. Cic. de Senect. 6, §. 20: *florentis aetatis*. —, ad famil. 2, 13: *florens aetate*. Multa ita invertuntur ex eo genere, de quo Zumpt. §. 471. — Exempli caussa produco Liv. 28, 22: *Acrior impetu atque animis, quam compositior ordine*. — Adde 2, 39, 2. Cic. de Orat. 2, §. 315. Similiter apud Caesarem legere me memini *homines incitatos* et alibi *equis incitatis* nescio quid facere. Item Ciceroni Tusc. 5, §. 99. c. 34. licuit scribere *facilia* pro *facili*. AXT.

V. 14.

pelagus.) Per *pelagus* intelligit negotiorum, munerum, studiorum in re publica quasi aestum et fluctus aura populari concitatos. Quod pelagus sero, nempe extrema aetate vicisse se dicit, dum se in portum otii vindicavit. Hanc in sententiam Seneca ait: *Hominem in freto vivere debere in portu autem mori*. Et Plinius in ipsa epistola, ubi de Spurinna: *Senibus industria sera, turpis ambitio est*. WERNSDORFIUS.

Res dicit gestas et munera reipublicae plena procellis et periculis, ut alia in re Horatius 1, 5, 13: *me tabula sacer* cet. Archilochus apud Cedrenum p. 792. senectuti ait *συμφέρειν τὴν ἀπραγμοσύνην*. BAYER.

Vide Cic. De Republ. I, c. 1, pr. Muren. C. 17. et Tusc. 5, §. 5: *cuius* (philosophiae) *in sinum quum a primis temporibus aetatis nostra voluntas — nos compulisset, his gravissimis casibus in eundem portum, ex quo eramus egressi,*

magna iactati tempestate confugimus. Cf. Lexic. s. v. *fluctus* et *tempestas.* AXT.

V. 15.

Quidq. vix. inter.) In eandem sententiam Seneca epist. 24: „Usque ad hesternum, quicquid transiit temporis, periit: hunc ipsum, quem agimus, diem cum morte dividimus." — WERNSDORFIUS.

Prudentius venuste in principio:

Per quinquennia iam decem,
Ni fallor, fuimus:
Instat terminus, et diem
Vicinum senio iam Deus applicat.,

et post paullo:

Cum iam quicquid id est, mors aboleverit.

BAYER.

Confer. Wernsd. P. L. Min. 3. p. 413. Prosp. Tyr. Exhortat. ad coniug., quam supra ad titulum carminis Vestrit. attulimus (pag. 30), — Goeth. *Stabilit. in rerum vicissitudine* (1. p. 121. 3, p. 79. ed. mai.):

Hielte diesen frühen Segen,
Ach, nur eine Stunde fest!
Aber vollen Blüthenregen
Schüttelt schon der laue West. cet.
Du nun selbst! Was felsenfeste
Sich vor dir hervorgethan,
Mauern siehst du und Palläste
Stets mit andern Augen an.
Weggeschwunden ist die Lippe,
Die im Kusse sonst genas,
Iener Fuss, der an der Klippe
Sich mit Gemsenfreche mass, cet.
Lass den Anfang mit dem Ende
Sich in Eins zusammenziehn!
Schneller als die Gegenstände
Selber dich vorüberfliehn.

Denke, dass die Gunst der Musen
Unvergängliches verheisst,
Den Gehalt in deinem Busen
Und die Form in deinem Geist.

Cf. Plat. Symp. p. 207. E., p. 210. E. sqq. (vid. supra p. 19.), Ovid. Trist. 3, 7, 43. (vid. supra part. avers. tit.), Koern. carm. virtutis et spiritus plen.: ***Was uns bleibt*** cet., stroph. 8:

Ob die Nacht die freud'ge Iugend tödte,
Für den Willen gibt es keinen Tod.

Aliter sensit ***Horat.*** 3, 29, 41. sqq. et ***Schiller*** in ***Consilii*** si dis placet ***tranquillitate:***

Was man von der Minute ausgeschlagen,
Gibt keine Ewigkeit zurück.

Cf. eiusdem ***Species rerum humanarum divinarumque cogitatas.*** — Caussas accusativi ***quidquid*** attigi in Progr. Cliv. 1829 p. 26. Cf. annot. ad Vestr. 3, 12 — 13. Nimirum accusativus ***quicquid*** est idem, qui in locutione ***vitam vivere.*** Cf. Zumpt. Gr. L. §. 384., ***Paldami*** mei dissertat. de Repet. Progr. Gryphisw. 1836. p. 8. ***Ed. Wunder.*** ad Sophocl. Aiac. v. 42, et in cens. ed. Lob., pag. 36. sqq. Lobeck. Paralip. II. p. 501. sqq. Item explico Soph. Trach. v. 562. ed. Herm.: στόλον ἐσπόμην. — Neque aliter explicandum est quod ***F. Osannus*** in Inscr. Sylloge, non vulgaris industriae opere, p. 592., reponere voluit:

Nomen parentes nominarunt Claudiam —,

ut homo praeclara eruditione ornatus non debuerit afferre Liv. 1, 1 et 34; nam hoc et pervulgatum est (vid. Zumpt. §. 421.) et casu diversum. — Eodem loco pro ***suo*** malim ***pio.*** —

Num apud Vestritium ***interit*** praesens sit, an praeteritum, licet dubitare. Vid. C. Reis. Schol. de Gr. Lat. hab. ed. Haas. p. 230, Zumpt. Gr. Lat. §. 160. — — Eiusdem praeceptis §. 521 — 522. adde Plaut. Most. 3, 2, 95:

Magni sunt oneris: quidquid imponas, vehunt.

Tib. 1, 6, 66:

Te semper, natamque tuam te propter, amabo;
Quidquid agat, sanguis est tamen illa tuus.

Propert. 2, 1, 53 — 58:

Seu mihi sint tangenda novercae pocula Phaedrae,
Pocula privigno non nocitura suo:
Seu mihi Circaeo pereundum gramine, sive
Colchis Iolciacis urat aena focis:
Una meos quoniam praedata est femina sensus,
Ex hac ducentur funera nostra domo.

Ovid. Tr. 1, 2, 23 (vid. Burm.):

Quocunque adspicias, nihil est nisi pontus et aer

ex Pont. 1, 3, 55:

Quocunque adspicias, campi cultore carentes,
Vastaque, quae nemo vindicet, arva iacent.

Horat. C. 1, 4, 12:

Seu poscat agna, sive malit haedo.

3, 24, 57:

Seu Graeco iubeas trocho,
Seu malis vetita legibus alea.

Pers. 5, 3:

Fabula seu maesto ponatur hianda tragoedo. —

Auson. Idyll. 12. Inconn. v. 5:

Incipe, quidquid agas: pro toto est prima operis — pars. —

Cic. pro. Lig. §. 23. ubi interpretes olim Grævium narrabant ex Erfurt. cod.: ***sed quoquomodo se illud habeat*** „rescripsisse" scilicet. Hodie critici sunt in alteram partem vehementes. Male *attulit* Reusch. Gr. Lat. 2, p. 296. Cic. Tusc. V. 83. ita, ut verba: ***et quoniam videris hoc velle, ut,*** omitteret. Nam qui ita legit, necessario in errorem inducitur, ut orationem *rectam* esse opinetur. — Coniunctivo iungendae hae voces, si de re *cogitata* dicitur. Vid. Carol. Reis. l. l. p. 537 — 8. AXT.

V. 16.

Aest. quem dec. sept. div.) hoc est cuius aetas in decies septem aestates dividitur, vel totidem aestatibus constat. Sed fortasse probabile, *dividit* antiquo sensu dictum esse pro affligit, vel taedio afficit, quia dividia, quae vox ab eo verbó haud dubie derivanda, apud Plautum occurrens taedium et molestiam notat. Quod si hic verus verbi sensus est, militare certe id omnium maxime pro ingenuitate horum carminum, et vero auctore Spurinna, potest. Nam quis recentior et spurius scriptor usurpare verbum tam antiqui et rari sensus ausus sit, qui certe barbaro saeculo incognitus fuit? Caeterum intelligitur hinc, post septuagesimum annum haec scripsisse Spurinnam, et de eo Plinius: „Illi post septimum et septuagesimum annum aurium oculorumque vigor integer." WERNSDORFIUS.

Decies septima aetas ab anno septuagesimo decurrens ita me in dies suos et annos dividit, ut quaeque dies illo in spatio quandam mei partem decerptura sit. *Dividit,* ut apud Martialem L. X., 10, 12:

Divisit nostras purpura vestra togas.

Malo enim *divisit,* quam Gruterianum *dimisit,* quod MS. Berolinense quoque habet. Tua, inquit, purpura nostras togas exuit, et nemine in partem admisso rapuit sola omnes. Id eo dicit, quod Paullus, homo nobilis, potens et locuples, humillima quaeque officia ita accurate obiret, ut nulli quicquam concederet. BAYER.

Rigler coniecit: *quem* vel *quum deficit,* quod ita explicat: Anno decies septimo pæne exacto, cum corpus debile fiat et imbecillum, quis iocosa amplius carmina componat? — Vid. supra pag. 37.

Aestas, quem cet. videtur dictum esse e doctrina anni climacterici; cf. annotat. ad v. 6. p. 42. et Justin. Mart. Quaest. 89. ad Orthod., qui *naturae opera pro statu temporis, qui septenario*

dierum, mensium aut annorum numero sit definitus, perfici negat: ***omnia enim fieri ipsius naturæ viribus.*** —

Virg. Aen. V, 626.:

Septima post Troiae excidium iam vertitur aestas.

Sal. Bass. (Wernsd. P. L. M. 4. p. 280.) ad Pis. v. 248—9.:

— et nondum vicesima venerit aestas.

Ut illi ***aestatem*** ita Horat. 1, 11, 4. 15, 35. et Catull. 68, 82. posuerunt hiemem. Item nostri poetae et non poetae, velut ego ipse in Lusibus:

Sie zählt erst sechzehn Sommer,
Wie Aetherthau so zart:
Da war die schwere Liebe
Dem leichten Kind zu hart.
Und ward nun immer milder
Und still in sich gekehrt;
Die blauen Augen glänzten
So himmlisch rein verklärt,
Und ihre Wangen blühten
Schneeweiss und rosenroth,
Und glühten immer heisser,
Und blühten sich zu Tod.

(Commentar. Noct. Med. Brunsvic. ann. 1838. nr. 208.). Ceterum quis ex hoc loco Spurinnae diem natalem aestivum fuisse coniiciat, aut haec carmina aestate scripta. — AXT.

V. 17.

An leves memor. ioc.) Etiam Horatius Carm. L. I, Ode XV, v. 35 in choriambico trimetro choreum posuit:

Post certas hiemes uret Achaicus
Ignis Iliacas domos.

Tibullus L. I. El. I, v. 85:

Iam subrepet iners aetas, nec amare decebit,
Dicere nec cano blanditias capite.

Olympius Nemesianus Ecl. I. 9:

Hos annos canamque meam, mihi care, senectam
Tu iuvenis carusque diis in carmina cogis?

> *Viximus et calamis versus cantavimus olim,*
> *Dum secura hilares aetas ludebat amores:*
> *Nunc album caput, et Veneres tepuere sub annis.*

BAYER. (Cf. pag. 30.)

Apud Hor. l. l. alii: *Pergameas*; G. Herm. V. S. Elem. D. Metr. p. 436. tueri videtur *Iliacas*. Cf. Vestr. 2, 1. 3, 5. — *Memoret* duplici modo potest explicari, ut vel mentionem facere, vel meditari sive canere significet. AXT.

V. 18.

Atq. apt. cith. cet.) h. e. cantet carmina ad citharam. Contra *dissonam chordis vocem* dixit Cassius in Orpheo, v. 4. *Surdis auriculis* contrarium vigorem aurium integrum Spurinnae tribuit Plinius. Sed possunt esse aures vegetae ad dicta quaevis percipienda, quamvis ad fidium cantum discernendum hebetiores. — In verbis *citharae* et *auriculis* recordatus videtur versum Horatii Epist. I, 2. 53: *Auriculas citharae collecta sorde dolentes.* WERNSDORF.

Cf. Horat. Epist. 1, 3, 12 — 13.:

> *Ut valet? ut meminit nostri? fidibusne Latinis*
> *Thebanos aptare modos studet, auspice Musa?*

Lucian. Imag. 14. τὸ γὰρ τῆς τε ἁρμονίας τὸ ἀκριβέστατον διαφυλάττειν, ὡς μὴ παραβαίνειν τι τοῦ ῥυθμοῦ, ἀλλ' εὐκαίρῳ τῇ ἄρσει καὶ θέσει διαμεμετρῆσθαι τὸ ᾆσμα, καὶ συνῳδὸν εἶναι τὴν κιθάραν, καὶ ὁμοχρονεῖν τῇ γλώττῃ τὸ πλῆκτρον, καὶ τὸ εὐαφὲς τῶν δακτύλων, καὶ τὸ εὐκαμπὲς τῶν μελῶν, πόθεν ἂν ταῦτα ὑπῆρχε τῷ Θρᾳκὶ ἐκείνῳ, καὶ τῷ ἀνὰ τὸν Κιθαιρῶνα μεταξὺ βουκολοῦντι, καὶ κιθαρίζειν μελετῶντι; — ex quo etiam id disces, quomodo Paris Horatianus, C. 1, 15, 15. carmina *dividat*. — Ut apud Horat. ***feminis*** **non minus ad** ***grata*** **referendum est, quam ad** ***divides*****, ita apud Vestr.** ***citharae*** **et ad** ***aptos*** **pertinet et ad** ***conciliet*****; cf. Horat. 3, 29, 13 — 16.:**

Plerumque gratae divitibus vices,
Mundaeque parvo sub lare pauperum
Coenae, sine aulaeis et ostro,
Sollicitam explicuere frontem.

3, 21, 7 — 8. Virg. Aen. 4, 702 — 3:

Devolat, et supra caput adstitit: Hunc ego Diti
Sacrum iussa fero, teque isto corpore solvo.

Virg. Aen. 6, 508:

Te, amice, nequivi
Conspicere, et patria decedens ponere terra.

Insolentins tamen cur sit hoc Homeri exemplum, (Il. 7, 70.) patet:

Ἀλλὰ κακὰ φρονέων τεκμαίρεται ἀμφοτέροισιν.

Sed quoniam modi ***conciliando*** demum ***apti citharae*** fiunt, intelligitur, ***aptos*** eos esse dictos per prolepsin, quae ita efficitur, ut loco verbi simplici vi praediti, quale exempli caussa est ***facere, reddere,*** cet., usurpetur verbum, quod praeter hanc simplicem vim simul praecipuam eam continet significationem, quae altera rei attributae parte, quae plerumque adiectivum est, et ipsa continetur. Frequentissimum est hoc genus apud poetas et latissime patet: vid. Intpp. Oed. Col. v. 1200. Wund. ad. Aiac. 393. (403. Br.) ad Antig. 669. Oed. Tyr. v. 57. Vestr. 1, v. 12—13 (pag. 54.) et 2, 16. Tibull. 1, 2, 2.:

Adde merum vinoque novos compesce dolores,
Occupet ut fessi lumina victa sopor.

4, 1, 126:

Quin rapidum placidis etiam mare constitit undis,

Virg. Aen. 1, 69:

Incute vim ventis, submersasque obrue puppes: —

quem locum male explicant Min. 1, 15, 5. Sanct. et Periz. diversissima permiscentes. Sophocl. Ai. v. 447 — 8. Br. Antig. 881 — 2. (Triclin.):

τὸν δ' ἐμὸν πότμον ἀδάκρυτον
οὐδεὶς φίλων στενάζει.

Rara haec locutio est in oratione prosa; vid. tamen Cic. ipsius Verrin. 2, 1, 3.: *simulacraque deorum, — — consistere eius animum sine furore atque amentia non sinunt.* Cf. Liv. 2, 47, 8.: *terror trepidos agit.* 2, 50, 4. (2, 47, 10.) AXT.

V. 19.

Surd aur. strep.) meis, quae iam obriguere ad voluptates. BAYER.

Contemtim usus est diminutivo, quia aures hebetes sunt: cf. Juvenal. 10, 210—216:

— nam quae cantante voluptas,
Sit licet eximius citharoedus sive Seleucus,
Et quibus aurata mos est fulgere lacerna?
Quid refert, magni sedeat qua parte theatri,
Qui vix cornicines exaudiat, atque tubarum
Concentus? clamore opus est, ut sentiat auris,
Quem dicat venisse puer, quot nunciet horas.

Apud Horat. Serm. 1, 9, 20; 70. *auricularum* nomine significantur misellæ aures; apud Prop. 1, 16, 28, ut v. 31. *ocelli,* tenellae, delicatae, ut dominae. De voce *surd.* cf. hominis egregie cordati, F. Jacobs. Flor. Poet. Lat. 2. p. 147. et Forc. et Liv. 40, 8. — Horat. C. 4, 3, 17 — 18:

O testudinis aureae
Dulcem quae strepitum, Pieri, temperas, —.

Vid. Fr. Jacobs. l. l. p. 185. et p. 472. — Ceterum cf. C. Tus. 5, c. 40. § 116.: „In surditate vero quidnam est mali? cet. At vocem citharoedi non audiunt. Ne stridorem quidem serrae, cet. Etenim qui secum loqui poterit, sermonem alterius non requiret." (Vid. annotat. ad Vestr. 2, 3. pag. 74.) — Qui consequuntur duo versus illius Horatiani carminis sunt verbis speciosi, sententiis inanes, logi! nugae canorae, blandi et fallaces tinnitus! — nisi forte Horatio etiam aliis accidere posse videbatur, quod Tynnicho Chalcidensi apud Platon. Ion. p. 534. AXT.

V. 20—23.

Quisqu. decrept. corp. e. reus, Sat ses. eloq. prob. Si serv. plac. iur. sil. Et patr. ot.) *Decrepiti corporis reus* est, in quo deprehenditur corpus decrepitum; nam reus est rei cuiusque vel caussae particeps, sicut et *damnatus* dici solet pro infelici et aerumnoso. vid not. ad Calpur. IV. 117. Caeterum eleganter pergit Vestritius in allegoria iudicii, cum ait, decrepiti corporis reum hoc ipso se satis defendere, satis eloquentum esse, si utatur iure et patrocinio, quod ipsa senectus praestet, nempe silendi et quiescendi. Ius hoc senectutis tangit Plinius IV. 24: *leges*, inquit, *maiorem annis LX otio reddunt.* et Seneca de brev. vit. c. 20.: *„lex a sexagesimo* anno senatorem non citat." — *Si servet pl.*) Barthius edidit cum lacuna: Si *ser*...*placidi.* Sed nemo non videt *servet* legendum esse. WERNLSDORF. Calpurn. 4, 117:

> *AM. Jam neque damnatos metuit iactare ligones*
> *Fossor,* —

Damnatos ligones accipio pro infelicibus, laboriosis, ut *invisam fossori terram* dicit Horat. C. III, 18, 15. Claudiano bell. Get. 43: *damnati fato populi,* et Idyll. de Nilo, 17: *loca solis damnata vapore.* Virg. G. II, 355: *duros iactare bidentis.* WERNSD. (ad Calpurn. I. l.) —

Haec ita restitui, cum esset e Ms. editum a Barthio:

> *Quisquis decrepiti corporis est reus,*
> *Sat se se eloquii probat.*
> *Si ser * placidi iura silentii.*

Reus eloquii, ut apud Tullium, Milo reus praeclari facti. Levis est traiectio: *senex, cum reus est eloquentiae, sat sese probat;* sive, *se purgat et aliis satisfacit.* Ceterum, ut ait Horatius Carm. 3, 2, 25:

> *Est et fideli tuta silentio*
> *Merces.*

Quem versum seu Augustus Horatio sive Horatius Augusto Caesari debuit: est enim apud Plutarchum in Apophtegmatis

Augusti ad Athenodorum: ἐστὶ καὶ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας. Euripides in Oreste, v. 639:

ἐστὶ δ'οὗ σιγὴ λόγου
Κρείσσων γένοιτ' ἄν. ἔστι δ'οὗ σιγῆς λόγος.

Tacitus de Afro oratore Annal. L. IV. c. 52: *prosperiore eloquentiae, quam morum, fama fuit: nisi quod aetas extrema multum etiam eloquentiae demsit, dum fessa mente retinet silentii impatientiam.* — *Si patroc. otii*) censeo ἀπὸ κοινοῦ, *servet.* BAYER.

Ad *Bayeri* interpretationem *Rigler* attulit Heindorf. ad Serm. 1, 6, 51. et locutionem *voti reum esse.* Ipse eodem modo genitivum *eloquii* explicandum putat, quo apud Sil. Punic. 16, 166.: *Cornipedem animi probarat.* „Ut apud Wernsdorfium," inquit, „haec distincta sunt, construi debent: Quisquis reus decrepiti corp. est, i. e. quisquis senex reus est. De vi ac significatione vocis *reus* vd. Cic. de Orat. 2. c. 43, 183. et c. 79, 321. Sententia igitur haec est: Si quando senem caussam agere oportet, maxime ei conveniunt iura silentii et patrocinium otii, — iure enim otium seni concessum est (vd. Wernsd. annot. ad h. l.) sive, ut aperte loquamur, senem decrepitum a caussis ac rebus forensibus omnique munere vacare oportet." — —

'Αλλ' ἐστὶ καὶ σιγῆς cet., de quo Bayer, est Simonidis Cei, cf. Wyttenbach. ad Jul. or. 1. p. 136. Lips. — *Wernsdorfiana* legenti in mentem mihi venit Vitalis Blesensis Amphitryon. ed. Osann. v. 333:

Totus inaudita foedaque nigredine dampnor,
Atque color membris omnibus unus inest.

Quasi praeteriens nonnullas hic apponam huius carminis lepidissimi emendationes, quas ad manum habeo: v. 94. lego equidem: *ultima* (Ovid. Amor. 1, 5, 25. Fast. 2, 827. 3, 573.) —; v. 107.: *iniquum* (cod. Gissens.: *iniquus*, cf. annotat. ad Vestr. 2, 2. pag. 72.); v. 110: *hercle* (v. 318., var. script.); v. 283. fortasse legendum: *vocemne echone relatam;* v. 417. virgula

ponenda post *est*. Item mihi videtur locus ille in Symposii Platonici cap. 13. esse corrigendus: *καὶ ἀλλ' ἀνόμοια πολλά, νοσήματα καὶ τοῖς θηρίοις καὶ τοῖς φυτοῖς.* —; v. 430. recte Maius: *fac, bona Iuno* (,) *precor;* vid. Virg. Aen. 1, 734. — V. 509. fortasse: *reserata domus stupet.*

Olim apud Vestr. pro *eloquii* conieci *eloquio*. Certe genitivus *eloquii* totus est Graecus, qui ita solum sua vi, non usu Latino possit stare: Zumpt. Gr. Lat. c. 73, 2. 74, 10. Weissenb. §. 206; *δοκιμάζεται τῆς εὐεπείας*, quod attinet ad eloquentiam: Virg. Aen. 11, 126. (Heyn.): *Iustitiæne prius mirer te* cet., ut *θαυμάζω τινὰ τινός*. Buttm. Gr. Gr. §. 132, 6, et annot. 8. Matth. Gr. Gr. §. 317. cf. 315. 316. 322. 337. al. Scilicet *se probare* idem valet, quod *probari*, et *se probans* fere id, quod *probatus*, atque hoc cum genitivo iunxit Claudian. de IV. consul. Honor. v. 488. (cui cf. quem *Rigl.* affert Sil. 16, 166.) ad normam adiectivorum, de quibus Zumpt. Gr. L. §. 437. disserit, (quibus adde Virg. Aen. 5, 73: *aevi maturus*. Stat. Silv. 5, 3, 109: *obscurus famae*. Val. Fl. 5, 407: *facilis alloquii*. Claudian. de laud. Seren. 54: *Facilis frugum*. Tibull. 1, 7, 40: *tristitiae dissoluenda*). Quum autem *se probat* idem sit, quod *se probans* sive *probatus est*, licuit utique Vestritio per analogiam *probare* cum genitivo coniungere. Eodem modo explicanda sunt illa: *regnare populorum, laborum decipi* (Hor. C. 3, 30, 12. 2, 13, 38.), *purgare morbi* (Serm. 2, 3, 27.), *impleri Bacchi, levare laborum, se excruciare animi* (Virg. A. 1, 215. Plaut. Rud. 1, 4, 27. 2, 3. 57. 68. Lindem. ad Mil. Glor. 3, 1, 124. Sanct. Minerv. ed. Periz. p. 603. Reis. Schol. de Gr. Lat. habit. p. 638). Nempe haec eodem modo dicuntur, quo *soror fratris, flos horti, praedium domini, ira fugae* (Liv. 27, 7.), *dolor veneni* (Catull. 32, 10.), *Morbi artifex* (Prop. 2, 1, 57.), *χόλος ὅπλων* (Soph. Ai. v. 41.); *ὑποστραφεὶς μερίμνης* (Oed. Tyr. 728. cf. 411.); quae diversissima videntur, non sunt, sed cuncta eo continentur, quod vulgo praecipiunt, ut, si duo nomina conveniant, alterum genitivo dicatur, et *eloquii* genitivus *ratione* nihilo differt ab illo usu, de quo Zumptius

§. 448. Cf. meas Symbolas paedag. Wetzl. 1838. p. 22 — 23. Vis enim genitivi (praesertim *obiectivi*) *qua indicatur esse quid aliquo modo accidens,* latissime patet, ut e solo cuiusque sententiae nexu possit dispici, quae sit singularis eius quoque loco significatio. Vid. Herm. ad Vig. p. 877. ed. II. Reis. Oed. C. Enarr. v. 561. — Errat igitur *Astius* apud Stallb., V. D., ad Plat. Apolog. p. 41. c., genitivum in locutione *ἀμήχανον εὐδαιμονίας absolute* dici opinans *ad indicandam rationem, quam nomen substantivum significet.* Ibidem pro *esset* scribendum est *sit.* — Cf. etiam quae ad v. 20. de genitivo annotata sunt, et ad Vestr. 1, 8. pag. 44.

Ceterum *sat sese eloq.* — — *silent.* est oxymoron; vid. annotat. ad. 2, 20; de re autem cf. annot. ad v. 8 — 11. J. Ph. Krebsii, viri de his litteris optime meriti, Vit. Sigon. Progr. Weilb. 1837. p. 1. Cic. de Senect. c. IV. init. (X, §. 32.) At vide, quae Liv. 39, 40. f. narrat. AXT.

V. 24 — 26.

Hoc cani gravit. — — — *Sed multi num.* cet.)

Hoc cani gr. vert. abstitit. Difficilius haec explico, quia non satis sana videntur, sequentia autem manca et decurtata sunt. Pro *abstitit* melius legatur *attulit.* Interim sic tento: Hoc vel in hoc, hactenus, *gravitas cani verticis,* senectutis meae, *abstitit* vel recessit ab utendo illo iure silentii, *ut non sponte sua,* amore otii et desidiae, *fugax* esse, fugere a negotiis omnibus, sed potius *multi carminis numeris* h. e. multis carminibus componendis, oblectare otium suum et ponere adeo in aliqua eloquii exercitatione velit. Sed si legatur, ut dixi, *hoc attulit, ut non sponte sua* caet., omnia erunt planiora. Caeterum huius odae argumentum multum convenit cum Prudentii praefatione carminibus praemissa. WERNSDORFIUS.

Hoc.) Ab hoc vitae genere mea senectus, non tamen sponte sua, abstitit. Ceteris mederi non possum. BAYER.

Sententia Vestritii haec videtur fuisse:

Hoc cani gravitas verticis abstitit:
Non ut sponte sua fugax,
Sed multi numeris carminis impigre
Torporem stimulans malum,
Fatalem excipiat spiritus hic diem.

Wernsdorfius post *sed* et *carminis* pinxit asteriscos: at post *sed* hoc signo non opus erat, quoniam metrum nihil deesse ostendit (vd. p. 78.). Item perperam asteriscus erat positus cod. Pith. Pervig. Ven. v. 60. — Sententiae caussa, quam Vestritii fuisse opinatus sum, cf. Horat. C. 1, 31, 19, sqq.:

Frui paratis et valido mihi,
Latoe, dones et precor integra
Cum mente nec turpem senectam
Degere nec cithara carentem.

Cic. de Senect. c. 20. §. 72. Stat. Silv. 1, 3, 108 — 110:

— — *Sic docta frequentes*
Otia, sic omni detersus pectora nube
Finem Nestoreae precor egrediare senectae.

5, 3, 12. 4, 7, 21. Auson. Mosell. 392. Cic. Cat. Mai. c. 14. med. (§. 49.) Pro Arch. c. 7. §. 16. Ovid. Trist. 5, 12, 1 — 2; 21 — 22:

Scribis ut oblectem studio lacrimabile tempus,
Ne pereant turpi pectora nostra situ.

Ep. ex Pont. 1, 5, 5; 41. Cic. de Off. 1, §. 123: „Senibus autem labores corporis minuendi, exercitationes animi etiam augendae videntur; danda vero opera, ut et amicos, et ***iuventutem, et maxime rempublicam consilio et prudentia quam plurimum adiuvent.*** Nihil autem magis cavendum est senectuti, quam ***ne languori se desidiaeque dedat.*** Luxuria vero cum omni aetati turpis, tum senectuti foedissima est. sin autem libidinum etiam intemperantia accesserit, duplex malum est; quod et ipsa senectus concipit dedecus, et facit adolescentium impudentiorem intemperantiam." —

Non referas per me ad verbum finitum (***excipiat***), de quo usu vid. Zumpt. Gr. L. §. 529. fin. (585.) et Heindorf.

ad Satir. 2, 5, 91. Quintil. 10, 5, §. 27. Terent. Andr. 4, 4, 48. Tibull. 2, 1, 9. Prop. 2, 26, 21:

Illa meis tantum non unquam desit ocellis.

Ovid. Heroid. 18, 63. A. A. 3, 133. Trist. 3, 7, 29. — Exempla, quae *Zumptius* §. 535. ed. 6. et §. 585. ed. 8. attulit, ut probaret, *neque, nec* nonnunquam dici pro *neve, neu,* non bona sunt, quia facillime fieri potuit, ut a librariis corrumperentur. Sed haec certa sunt: Ovid. Tr. 1, 9, 65.: *nec amici desere caussam.* Art. Am. 2, 335. Cf. Progr. Wetzlar. 1836. Astrolog. Maneth. p. 32. v. 88. Weissenb. Lat. Gr. §. 416, annot. 3. — Sed non necesse habes apud Vestritium *non* partic. coniunctivo iungere et *ut* interpretari *utpote;* potest enim *ut* partic. esse finalis et *non ut* dictum pro eo, quod est (ita) *ut non;* cf. Cic. de Or. 2, 61, §. 251: „Salsum hunc possum dicere, at ita, *non ut* eiusmodi oratorem esse velim, sed minimum." — §. 247: „et quod nos cum caussa dicimus, *non ut* ridiculi videamur, sed ut proficiamus aliquid, illi totum diem et sine caussa." — Adde §. 292. §. 356. AXT.

II.

V. 1.

Fave, sanct. d. sat.) In MS. nulla distinctio, nec ulla nota est alia. Ego vero, ut vulgo distinguendi videri possint, ita primos versus adscripsi. At, si tanti sit penitius scrutari rem, ego veram collocationem ita esse ducendam arbitrer: *Fave Sancta Deûm; sata Nullis, Pauperies, numinibus: Minor tecum si sapias tibi. Sancta Deûm* ut vetus poëta, Valerius Soranus, puto, *Saturnia sancta Dearum,* estque Graecanicum δῖα θεάων. *Nullis numinibus sata;* quia non curat splendorem generis, aut bonae fortunae, vir sapiens, qui idem bonae mentis sororem duxerit domum. Ipsam vero ab sui quoque ambitiosa aestimatione excludit illud *minor si soli tibi sapias.* Videant eruditi. Utraque sane distinctio tolerabilis est. BARTH.

Prior distinctio multo facilior et clarior. Ad haec Gronovius Observatt. lib. III, cap. 21, verba Spurinnae ita vult legi: *Salve sancta, Deûm satu, Nullis, Pauperies, numinibus minor.*, et addit „Male *sata nullis numinibus* fecerat librarius: nec *sancta Deûm* est, ut δῖα θεάων. Imo et diis ortam dicit, et nullis numinibus minorem. Ego vero Gronovio libenter assentior. Ad confirmandam Gronovii emendationem addo, quae Cicero habet de Offic. I, 32, 11: *Hoc Herculi Jovis satu edito potuit fortasse contingere.* Idem de Univers. cap. 11: *qui deorum satu orti essent.* WERNSDORF.

Fave.) Verbum solenne multum gratiae hoc loco habet. Tibullus *Phoebe fave,* Naso *Vesta fave,* Virgilius *Lucina fave.* Iambus ut in illo Catulli carmine saeculari:

Dianae sumus in fide
Puellae et pueri integri.

Sancta Deûm sata.) Graecorum imitatione θεογενὴς, διογενὴς, diis genita, quod et ipsi pauperes essent dii, praesertim, ut cavillatur Aristophanes in Pluto, v. 540. Iupiter. Aelianus apud Eustathium in Periegeten v. 453. aras paupertati dedicatas commemorat, sicuti apud Athenaeum Callisthenes tradit, Lacedaemone famis simulacrum iuxta solium Apollinis consecratum fuisse. At hi ut pestem colebant, ita et paupertatem et famem, ne noceret. Spurinna, ut Socratica e domo, tamquam beneficium deorum respicit; erat enim tota domus illa araneis plena. Aristophanes in Nubibus v. 101. μεριμνοφροντιστὰς, ὠχριῶντας, ἀνυποδήτους vocat Socraticos, et ubique illuviem sordesque familiae obiicit. Deinde Socratis exemplo philosophi in commendanda paupertate multi fuere, ut sunt in ea quaedam vitae commoda, nisi si esurias et plores, quod non pauperis est, sed mendici. Theocritus in Ἁλιεῦσι,

Ἁ πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει,
Αὐτὰ τῶ μόχθοιο διδάσκαλος.
Paupertas, Diophante, sola artes excitat,
Ipsa miseri magistra.

BAYER.

Rigler: „*Tu quae sata* i. e. natura ita es comparata, ut nullis sis numinibus inferior, si quidem tibi sapias i. e. contenta sorte tua nihil maius expetas." — Vid. Pass. Lex. s. v. φύω. —

De metro cf. annot. ad Vestr. 1, 17. 3, 5. Male *Bayer* attulit Catulli illum locum; cf. Virg.: *Exercet Diana choros, quam mille secutae.* — Fortasse *Salve* legendum; vid. lexica et Meyer. Anth. II. p. 250 — 1:

> *Salve, sancte pater Priape, rerum,*
> *Salve, da mihi floridam iuventam;* cet.
> *O Priape, potens amice, salve,*
> *Seu rupis genitor vocari et auctor.*

Virg. Aen. 5. 80:

> *Salve, sancte parens, iterum: salvete recepti cet.*

Propert. 4, 9, 71:

> *Sancte pater salve, cui iam favet aspera Juno.*

Certe non bene conferri poterunt Tibull. 2, 5, 1. Ovid Amor. 2, 13, 21. Fast. 3, 714. — Graeci ἵληθι, ἵλαθι. ἵλατε, Hymn. Hom. 19, 8. 22, 4; — χαῖρε, χαίρετε, ibid. multis locis. — Adde Oppian. Cyneg. 1, 22: "Ιλαθι πότνα, θεά, ex emendatione *Francisci Spitzneri,* viri summe venerandi, praeceptoris dilectissimi, de V. H. p. 129. — Mesomed. ad Nem. 15. Maneth. Apot. 6, 754. — Vers. Mesomed. 9. est χαροπὰ *laeto vultu,* qui est Fortunae *secundae,* sed *secundam* non significat, ut *Mehlhornius* opinatur.

Videtur errare *Reisigius* meus ad Oed. Col. Enarrat. v. 41. (Sophocl. Electr. 112. ed. Herm.: σεμναί τε θεῶν παῖδες Ἐρινύες.): *Ieiunum est enim additamentum et inficetum θεῶν παῖδες, nisi quae sint numina illa, quorum esse filiae dicuntur, declaretur.* — Cf. quae Dorv. ad Charit. p. 292. ed. Lips. annotavit; quibus adde Virg. Ecl. 4, 49: *Cara deum soboles.* (Aen. 5, 45. 9, 642: *Dis genite et geniture deos.* 10, 229: *deum gens Aenea.* Sophocl. Antig. v. 986. Br.) In Iliad. 13, 54. "Εκτωρ (Πριαμίδης) Διὸς εὔχεται ἐρισθενέος

παῖς εἶναι. Cf. Il. 24, 258—59. — Si quaeris, eiusdem generis est illud *Schilleri:*

> *Freude, schöner Götterfunken,*
> *Tochter aus Elysium,*
> *Wir betreten feuertrunken,*
> *Himmlische, dein Heiligthum.*

Nimirum rationis, virtutis et, quae in illis posita est, beatitudinis exsuperantia est *divinitas.* Cf. Plat. Symp. p. 203. E. fin. 204. init. p. 205. D. 206. C. sqq. Cic. de Fin. 5, 13: *Ratione nihil in homine divinius.* Goeth. carm. de Divinit. II. p. 83. ed. maior. — Ch. Fr. ab Ammon. de Doctr. Christ. human. generis relig., I. p. 254. ed. I. — Libr. Chronic. 1, 18, (17.) 13. Ev. Ioann. 10, 30—36. — Iliad. Hom. 6, 191. Heyn., ibid. 180. — Ad Barthii annotationem adde Virg. Aen. 4, 576: *sancte deorum.* AXT.

V. 2.

Null., Paup., num. minor.) Horat Epist. I, 1, 106: *Sapiens uno minor est Iove.* Ovid. Fast. IV. de Venere: *Illa tenet nullo regna minora Deo.* Maxime similis locus est Silii Ital. lib. VI, 123: *sacer ille et numine nullo Inferior, tuus ille parens.* WERNSDORF.

Vital. Bles. Amphitr. v. 25:

> *Et quid, ait, coetus superum Iove patre superbit?*
> *Nam superum pater est Amphitryone minor.*
> *Exierat pater, et caducifer obvius ibat*
> *Nuntius: optato, Iuppiter inquit, ades.*

Nam sic haec legenda; et v. 37. *dei* reponendum, quod in F., et v. 38. *erat,* quod etiam in cod. Gissens. (vid. Catalog. cod. man. Biblith. Acad. Giss. auct. Adrian. Fr. a. M. apud Sauerlaend. 1840.) explica: *partes sustinuit.*

Paupertati et Arti tanquam deabus a Celtis aras sacratas fuisse memorat Philost. Vit. Apollon. Tyan. 5, 4. De paupertate, arti iuncta, cf. Casaubon. ad Pers. Prolog. v. 10. ed. Paris. p. 25—26. Platon. Sympos. c. 23. p. 203. Horat.

Epist. 2, 2, 51. C. 2, 18, 9—10. Virg. Georg. 1, 145—6. Petron. c. 135. 7: ***Mirabile quidem paupertatis ingenium, singularumque rerum quaedam artes.*** c. 84. 4: ***Nescio, quomodo. bonae mentis soror est paupertas.*** — Secund. Philos. in Th. Galeii Opusc. Myth. Phys. et Eth. cet. p. 637. p. 640: τί ἐστι πενία; μισούμενον ἀγαθόν, ὑγείας μήτηρ, ἡδονῶν, ἐμποδισμός, ἀμέριμνος διατριβή, δυσαπόσπαστον κτῆμα, ἐπινοιῶν διδάσκαλος, σοφίας ἀνεύρησις, ἄφθονον, ἀσκόπευτος οὐσία, ἀζημίωτος ἐμπορία, ἀψήφιστος οὐσία. A Pallad. Anthol. Pal. 10, 61. dicitur paupertas μήτηρ σωφροσύνης. Idem Palat. 9, 172 haec:

Ἐλπίδος οὐδὲ Τύχης ἔτι μοι μέλει, οὐδ' ἀλεγίζω
Λοιπὸν τῆς ἀπάτης· ἤλυθον εἰς λιμένα.
Εἰμὶ πένης ἄνθρωπος, ἐλευθερίῃ δὲ συνοικῶ.
Ὑβριστὴν πενίης πλοῦτον ἀποστρέφομαι.

Sed male constans idem antea (Palat. 121, 169.):

Μῆνις Ἀχιλλῆος καὶ ἐμοὶ πρόφασις γεγένηται
Οὐλομένης πενίης γραμματτικευσαμένῳ.

Lucian. Nig. 19.: — — τῶν Ἀθήνησιν ἀνθρώπων, οἳ σοφίᾳ καὶ πενίᾳ σύντροφοί εἰσι; — 22; 23. Timon. 12; 31—33; 36. De Merced. Cond. 5—6. Apol. pr. Merc. Cond. 10. — Iuvenal. 3, 152:

Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quam quod ridiculos homines facit.

7, 53—73:

— — *Neque enim cantare sub antro*
Pierio thyrsumve potest contingere sana
Paupertas atque aeris inops, quo nocte dieque
Corpus eget: satur est, quum dicit Horatius, Evoe!

Horat. C. 3, 24, 42. Mitsch., Virg Aen. 6, 276. Heyn. Theogn. 375—390. Br. — Quid igitur statuamus? — Cf. Horat. C. 2, 10, 5—8. 3, 16, 37. Epist. 1, 10, 32—41. 2, 2, 190—200. AXT.

V. 3.

Tecum si sap. tib.) si tuis contenta bonis a cupiditatibus abstineas. Aristophanes in Pluto V. 551:

πτωχοῦ μὲν γὰρ βίος, ὃν σὺ λέγεις, ζῆν ἐστιν μηδὲν ἔχοντα·
τοῦ δὲ πένητος, ζῆν φειδόμενον καὶ τοῖς ἔργοις προσέχοντα·
περιγίγνεσθαι δ' αὐτῷ μηδέν, μὴ μέντοι μηδ' ἐπιλείπειν.

Mendici vita est, nihil habentem vivere
At pauperis vita, vivere parce et rebus suis vacare,
Nihil ut supersit ipsi, nihil vero etiam ut desit.

BAYER.

Simili modo ad pronomen possessivum additur personale, ut a Plauto Capt. 1, 1, 12: *cochleae suo sibi succo vivunt;* vid. Lexic. s. v. *sui* et Reis. Schol. de Gr. L. habit. ed. Haas. p. 388. — Sententiae et locutionis caussa cf. Vestr. 1, 9. Virg. Cul. 78. sqq.:

Quis magis optato queat esse beatior aevo,
Quam qui mente procul pura sensuque probando
Non avidas agnovit opes; non tristia bella,
Nec funesta timet validae certamina classis;
Non, spoliis dum sancta Deum fulgentibus ornat
Templa, vel evectus finem transcendat habendi,
Adversum saevis ultro caput hostibus offert.

Ovid. Trist. 3, 4, 5. sqq.:

Vive tibi, quantumque potes praelustria vita.
Saevum praelustri fulmen ab arce venit.
Nam quamquam soli possunt prodesse potentes;
Non prosit potius, si quis obesse potest.
Effugit hibernas demissa antenna procellas,
Lataque plus parvis vela timoris habent. cet.
Dum tecum vixi, dum me levis aura ferebat,
Haec mea per placidas cymba cucurrit aquas.
Qui cadit in plano, vix hoc tamen evenit ipsum,
Sic cadit, ut tacta surgere possit humo: — cet.,

v. 25. sqq. Pers. 4, 52. (Intrpp.): *Tecum habita.* Cic. Tusc. 5, 117: *etenim qui secum loqui poterit, sermonem alterius non*

requiret. (Vid. pag. 63.). — Adde pervulgatum illud: λάθε βιώσας; nec inepte adscribatur Catull. 22, 17:

Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur. —

(vid. annot. ad. v. 13.) et Lucian. Apolog. pr. Merced. Cond. 5:

Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.

Cic. ad. Fam. 13, 15. — AXT.

V. 4.

Ultro magn. hosp. hon.) Lege *ultra.* Et ego tamen non capio ista. Nec videtur aliquid deesse sequentibus. BARTH. In msp'o fuit *Ulta magnif.* Enim vero necessario legendum est *Ultro hospes,* quae ultro, tua sponte, peregrina et aliena es honoribus, nec eos nosse et ambire cupis. WERNSDORF.

Vitae, magnificis hospes honoribus, absolvens numerum tuae.) In MS. *Ultra,* inde Barthius, *Ulta.* Hoc quidem nihil est. Scripsisse puto Spurinnam, ut nos edimus. —

Magnificis hospes honoribus,

vitam peragens alienus ab honoribus et ambitione. BAYER.

Crates, quum opes suas sponte in mare proiecisset, se victrici corona cinxit. Vid. Menag. ad. Diog. L. VI, 87. p. 262. Philostr. Apoll. I. c. 13. — — Cic. Orat. 1, 50. extr: *hospes in agendo.* Pro. Rab. Perd. R. c. 10: *adeone hospes huiusce urbis* — — *es.* AXT.

V. 5 — 6.

Absol. num. t. In te laet.) Hunc versum a sequenti Barthius asteriscis, quasi lacuna esset, discrevit. quod ego puto fieri non debuisse. nam constructio et sententia in utroque bene cohaeret. *Absolvens num. tu i. t. laet.* h. e. Perfectam in te habens, nec aliam quaerens, laetitiam. Sic

Seneca epist. 2: ***Honesta res est laeta paupertas. Illa vero non est paupertas, si laeta est.*** — Ibid. Versum 4. sic legit vel emendat Bayerus:

Vitae, magnificis hospes honoribus,

Absolvens numerum tuae. — WERNSDORF.

Horat. C. 3, 29, 55 — 6. Sat. 2, 7, 83 sqq. Heind. — Claudian. 17, 1 — 6:

Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque late
Fortunae secura nitet, nec fastibus ullis
Erigitur, plausuve petit clarescere vulgi.
Nil opis externae cupiens nil indiga laudis,
Divitiis animosa suis, immotaque cunctis
Casibus ex alta mortalia despicit arce.

Cic. Tusc. lib. 5. (c. 1. 2.) — Quo notiores sunt locutiones: ***numeris suis absolutum, expletum esse, omnes numeros habere,*** cet., eo magis mirabere Heynium ad Aen. 6, 545. Nam ***explere numerum*** est ***officio satisfacere.*** Nempe ***pigebat Servianarum nugarum!*** AXT.

V. 6—8.

sord. cum quies, laut. nud. tum., Amb. se patr. fert. in domo.) ***sordida quies*** hic lautae, splendidae, luxuriosae opponitur: non est sordibus et immunditie foeda, sed simplex, splendoris et lautitiarum ignara. Sicut et alias ***sordidus*** humilem, vulgarem, minime illustrem notat: ut apud Lucilium Iuniorem in fine Aetnae: ***Nec sanctos iuvenes attingunt sordida fata.*** — ***Laut. nud. tum.,*** vacua curis, quae lautitiarum caussa comparandarum geruntur. In Advers. Barthii hic extat ***unda tum.*** vitio typothetae. ***Tumultus*** pro curis et perturbationibus animi Horatio et Senecae usitatum. Horat. C. II, 16, 10. Seneca in Oed. 329. et vide vers. 10. odae 3. Possis et legere ***Raucis nuda tum.*** et tumultus intelligere de strepitu fori et civilium turbarum. — WERNSD. — τὸ ***fertilis*** mihi suspectum: ***forcilis*** est in MS., quod tamen non video, quomodo aliter capiam. BARTH. — ***Ambit***

se h. e. quies, non alia re occupata, se ipsa delectatur, atque id tantum agit, ut se sibi conservet et teneat; *fertilis* hoc vult: non effoeta tamen ea et iners est, et plane disidiosa, sed semper aliquid boni consilii, bonae rei, de pectoris sui fundo profert, quod agat. Possis tamen pro eo *fortius* legere. — *Fertilis* ea quies a Statio dicitur *foecunda* Silv. I, 3, 91: *Hic premitur foecunda quies, virtusque serena Fronte gravis.* Et pertinent huc verba Plinii Epist. I, 9: *O dulce otium honestumque! — — o mare, o litus! — quam multa invenitis, quam multa dictatis.* WERNSDORF.

Lautis nuda.) In MS. *unda.* Recordare *lautos tumultus* in domo Euclionis apud Plautum in Aulularia.

ambit se patria fertilis in domo.) MS. *patriae.* Se ipsam sordida ob paupertatem quies ambit et amplectitur, se contenta est ipsa, ut apud illum Horatianum colonum, qui paterna rura colebat, Epodon II.:

Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bubus exercet suis,
Solutus omni foenore.

BAYER.

Rigler post *laetitiae* maximum distinguendi signum ponit et pro *cum* legendum putat *enim.* Idem affert ad *sordidam quietem* Serv. et Voss. ad Virgil. Ecl. II, 28.

De tota sententia confer Senec. Thyest. 391. sqq. Mart. 1. 56, (v. 4.). De *Laut. tumult.* vid., quem Forc. affert, Senec. Epist. 114. med. et fin., ubi quam late *lautitiae* pateant, intelligitur. — Ceterum Vestrit. etiam: *tumultuosae lautitiae* dicere potuit. Vid. annot. ad Vestr. I, 8 (p. 44.); 12—13. — De verbis *Amb. se* conf. Horat. Sat. 1, 1, 66: *mihi plaudo Ipse domi.* Perspicuum est, Vestritium imagine ambiendi ita usum esse, ut *se ipsum,* non *populum* ambire se dicat.

Quod in cod. est, *patriae,* id per se non ineptum; potest enim *domo* simpliciter dici de *patria domo* et dativus e *fer-*

tilis pendere; sapientiae autem studium etiam Horatius ut patriae utile commendat, Epist. 1, 3, 28:

> *Hoc opus, hoc studium parvi properemus et ampli,*
> *Si patriae volumus, si nobis vivere cari.*

Sed non ea nunc videtur Vestritii mens, ut otium suum *patriae* fertile praedicet. Vid. annot. ad I, 10—11. — De *fertilis* cf. Claudian. 17, 114: *fecunda otia.* Stat. Silv. 1, 3, 108: *docta otia.* — Cic. de Off. 3, 1. AXT.

V. 9.

vendita plaus.) Sic Barthius, cum esset in MS. *vendibilis.* Corrumpi se non sinit a populi assentationibus. Euclio Plautinus: *nemini credo, qui large blandu'st dives pauperi.* BAYER.

Wernsdorfius servavit *vendibilis* et inter v. 8. et 9. pinxit asteriscos. Sed nihil deest ad sententiae integritatem, ut tota suspicio e metro profecta videatur (vd. pag. 68.). Nimirum *vendibilis* aut est interpretatio vocis *vendita* aut librarius oculis aberravit ad *fertilis,* quod supra scriptum erat. Idem Wernsd. post *domo* et *plaus.* male posuit maximum signum; *Rigler* nullum signum posuit post *plaus.,* et post *domo* virgulam.

De *plausibus* vid. schol. ad Horat. Sat. I, 1, 67. (C. 1, 20, 3.) Cic. pro Deiot. §. 34. c. 12. cuius orationis §. 29. c. 10. repone: *Tum vero cet.* AXT.

V. 10.

querul. magn. fori.) Forte legas *magnanimis,* ut alia eius generis in usu sunt non pauca. BARTH. *queruli fori,* in quo querelae et lites aguntur, e quibus laus et fama et lucrum quaeritur. Senec. Herc. fur. 172: *Hic clamosi rabiosa* fori Jurgia vendens, improbus. WERNSDORF.

Contemtrix queruli magno animo fori.) In MS. *magnanima.* Si te isthuc *magnanima* metri caussa offendit, lege

magno animo. At Boethius tamen etiam tribrachyn recepit, de Consolatione philosophica L. IV. metro III. v. 14:

Flere dum parat, ululat.

Sed hoc perquam insolens. BAYER.

Barthii *magnanimis* veterum auctoritate caret nec facile grammaticis probabitur, qui in hoc adiectivorum genere certos terminos statuunt. Facillima Baieri mutatio, sed ut ipse sensit, non necessaria (Vid. Fr. Henr. Bothii annott. ad Horat. C. III, 16, 26.). RIGLER.

Vid. Wernsd. P. L. M. III, p. 412. v. 17: *fori turbas strepitusque litis.* Virg. G. 2, 502: *insanum forum,* Propert. 4, 1, 134: *insano verba tonare foro,* Ovid. Art. Am. 1, 80: *argutum forum.* Tr. 3, 12, 18: *verbosi garrula bella fori,* Stat. Silv. 1, 4, 10. sqq.: *fora turbida questu,* 3, 5, 87: *foro rabies aut strictae iurgia legis,* 4, 5, 49: *fremens forum,* Claud. Epigr. 2, 8: *rauci lites fori,* Hom. Odyss. 2, 150: ἀγορὴ πολύφημος. — Goethius in Querelis matutinis:

Und es regte sich der ganze Plunder
Des bewegten Marktes durcheinander.

Si omnia superessent Latinitatis monumenta, pariter fortasse extaret *magnanimis* atque *gracila* Nonius e Lucilio posteritati tradidit. Cf. Reisig. Sch. de L. Gr. hab. ed. Haas. p. 158. sq. — Sed etiam *magnanima* tuetur arsis vis in voce longiori, ut apud Tib. 1, 7, 61: *agricola,* ubi librarius aliquis e inseruit, vid. Heyn. Sed Virg. Aen. 3, 464. rectissime correxit Conr. Schneid. Gr. Lat. 1, 2, p. 753; videtur enim Virgilius, sane nonnunquam putidus imitator, Homericum ἀπὸ πριστοῦ ἐλέφαντος ad numeros expressisse. Cf. 5, 261: *sub Ilio alto.* — Herm. Epit. doctr. metr. §. 329. Elem. p. 351. AXT.

V. 11—13.

Nil non sol. pot. — — suppl. Regn. in pr. sin.) Omnia tibi praestas sola, tibi sufficis, alienae vel externae opis nihil indigens. *Supplicia* sunt supplicationes. Romano nomine

ista non sunt prorsus indigna. Nec dignissima tamen propter eorundem, ut videtur, repetitionem. Nisi si quis ex integro opere talia consarcinare voluit. Ut postrema aetate fere soli Ethici poëtae in pretio fuerunt. BARTH. ***Furtivis proc. suppl. pr.*** h. e. spernens arrepere proceribus, iisque furtim supplicare. ***Supplicia*** quidem pro supplicationibus, quae Diis fiunt, haud raro ponuntur apud Sallustium et Livium, hic tamen sunt preces humiles proceribus factae, vel querelae miserabiles, ut usurpavit Plinius praef. libri VII, de homine nato loquens: ***flens animal, caeteris imperaturum, a suppliciis vitam auspicatur.*** — ***in proprio sinu*** i. e. domi et apud te, vel in animo et conscientia tua. Vid. v. 5. odae III. ***Sic in sinu gaudere*** Plinius dicit, et Seneca, epist. 20, ***divitias in sinu positas*** vocat, quae sunt domi et in occulto positae. ***Regnas*** eo sensu, quo Seneca in Thyeste, 388: ***Rex est, qui metuit nihil: Rex est, qui cupiet nihil. Hoc regnum sibi quisque dat.*** WERNSDORF.

Furtivis.) clandestinis procerum cruciatibus, quippe qui cum suis cupiditatibus, et cum aliorum invidia, criminationibus, occultis insidiis, mille incommodis aliis conflictantur. BAYER.

Virg. Aen. 6, 117: ***potes namque omnia,*** ait Aeneas ipsi Sibyllae. — Accusativum ***nil*** eadem ratione licuit adiicere, qua dicitur ***plus, nimium, multum,*** cet. potens. — Olim conieci: ***potes, simul*** —.

De re cf. Horat. Serm. 1, 3, 25. Heind., Epist. 1, 10, 8:

— — rivo et regno, simul ista reliqui,
Quae vos ad coelum effertis rumore secundo.

De ***furt. proc. supplic.*** cf. Sallust. Jug. 66: ***Vaccenses — fatigati regis suppliciis.*** — Cic. ad Attic. 1, 14, 6. narrat ***Clodium frequenti senatu ad pedes omnium singillatim accidisse.*** —

Ut Vestr. ***in propr. sinu*** (vid. 3, 7.), ita Horat. Serm. 1, 6, 22: in ***propria pelle quiescere.*** Epist. 1, 7, 51: ***proprios ungues.*** Cic. ad Fam. 2, 6: ***propriae saluti tuum studium***

dices: cf. Borrich. Vindic. Lat. p. 192. et D. F. Ian. Lexic. Philolog. Crit. cet. sub. vv. *propria manu.* Weber. Exercit. Lat. scribend. 21, 89. Krebs. Antib. p. 394. — Intelligitur, esse posse, ut Latine dicatur *manu propria.* — *De sinu* cf. annotat. ad Vestr. 3, 5. Cic. Tusc. 3, 21: *Ut in sinu gaudeant.* Tibull. 4, 13, 8: *in tacito sinu gaudere.* Propert. 2, 25, 30. 3, 21, 32. Ovid. Tr. 4, 5, 17: *intra sua pectora gaudere.* Fr. Jacobs. Flor. Poet. Lat. 2. p. 227. AXT.

V. 14 — 15.

Felix, quem ten. mat. ab ung. Et reg. rap.) *rapis,* tibi vindicas, et proprium dicas, ut matris simul amore complectaris, et reginae potestate regas. WERNSDORF.

mater.) quem paupertas inopi in domo natum sibi vindicavit, proprium tota vita, quem instituit et formavit sibi, μόνη ἀγαθῶν ἁπάντων οὖσα αἰτία, ut Comicus ait.

regina.) ut Comicus in Pluto δέσποινα. Quem paupertas veluti mater et simul regina suo sub imperio tenet. Regina et domina, amantium voces. BAYER.

In hac trita locutione plerumque verbum substantivum omittitur in *utroque sermone,* velut in illo:

Felix, qui potuit rerum cognoscere caussas.

Virg. G. 2, 490. Tib. 2, 1, 79—80:

Ah miseri, quos hic graviter deus urget! at ille
Felix, cui placidus leniter afflat Amor!

Propert. 1, 12, 15. Eleg. extr. v. 71. cet. Stat. 5, 2, 152:

Felix, qui viridi fidens optata iuventa
Durabis quascunque vias, vallumque subibis.

Mart. 9, 43, 8. Claudian. 52, 1:

Felix, qui patriis aevum transegit in agris.

Horat. C. 1, 13, 17:

Felices ter et amplius.

Epod.: *Beatus ille* cet. Vid. Burm. ad Anthol. 1. p. 501. Eurip. Cycl. 493: Μακάριος, ὅς εὐάζει cet. Item contra Horat. 1, 5, 12:

— — *miseri, quibus*
Intentata nites.

Tib. l. l. pag. 81. Adde Psalm. 1. init.

De verbis *teneris ab unguibus* cf. Cic. ad Fam. 1, 6: *a teneris, ut Graeci dicunt, unguiculis.* Horat. 3, 6, 24. Mitsch., Hermes. Leont. v. 62, cuius carminis v. 96. repone audacter: ὅτε χλιδανῆς. Quod locutionem *de ten. ung.* attinet, cf. etiam Plut. de Puer. Educ. ed. Wyttenb. 5. p. 9; proxime ad eam accedit Germanorum: *von Kindes Beinen an,* uti etiam dixit *Ringhartus* in praestantissimo hymno: *Nun danket alle Gott.* — Apud Flor. in Wernsd. P. L. M. 3, p. 486. est *ex alvo matris;* vid. F. Jacobs. Flor. Poet. L. 1, p. 25. —

Deae et dominae primaeque alicuius ordinis moderatrices appellantur *reginae;* vide Forc. et Stat. Theb. 4, 379: *silvestris regina chori* i. e. Bacchantium antistes. — *Mater* sonat etiam *nutricem,* vid. Plaut. Menaech. Prolog. 19. Virg. Aen. 8, 632; item *rex* interdum modo *magister, paedagogus,* Horat. 1, 36, 8. — Adde Cic. de Off. 3, 6, 8: *Haec enim una virtus omnium est domina et regina virtutum.*

Rapis id est *arripis, eripis.*

Et — simul, vd. Krebs. Antib. s. v. *simul;* olim conieci *semel,* cf. Forc. s. v. *simul* fin., Vestr. 3, 1. AXT.

V. 16.

Non ill. pop. fasc. ard.) * *fascibus.* Poteris supplere *tumidis,* vel *trabea* et fasc. — *arduum,* elatum et superbum. Hic Vestritius in animo habuisse versus Horatii videtur, C. IV, 3, 1: *Quem tu, Melpomene, semel — Illum non labor Isthmius clarabit pugilem,* caet. WERNSDORF.

Non illum tumidis fascibus.) Barthius e Ms. *illum* ** *fascibus.* sublimem magistratibus et muneribus reipublicae. BAYER.

Tota sententiarum et orationis conformatio arguit Vestritium ob oculos habuisse Virg. G. 2, 495:

Illum non populi fasces, non purpura regum
Flexit, cet.

(Lucretius. 3, 1009.) et scripsisse:

Non illum populi fascibus cet. —

Idem post me vidit Rigler, cf. Progr. Cliv. 1829. praefat. et p. 6. Idem affert Horat. Serm. 1, 6, 15. Senec. Hippol. 782. — Vid. annotat. ad. v. 20 — 21. 1, v. 12 — 13.

Arduum est prolepsis; cf. quae ad 1, 18. annotavimus (p. 62.) et adde: Ovid. Trist. 3, 12, 25: *Non interdicta cui licet urbe frui.* — Herm. ad Aiac. Soph. 965: „Et omnino quid usitatius Graecis est, quam epithetis id indicare, quod efficiatur iis, quae caeteris verbis continentur? Ut, τῶν σῶν ἀδέρκτων ὀμμάτων τητώμενος." AXT.

V. 17.

Versat nob. mal.) ***nobilitas curarum,*** nobiles curae, magistratuum curae. Et ***facilem fluctibus,*** expositum fluctibus, periculis. Est enim ***facilis*** Maroni tractabilis, mobilis. BAYER.

Vid. Forc. s. vv. ***verso*** et ***nobilitas:*** „Item metonymice altitudo et firmitas animi, fiducia, confidentia, superbia, quae ex ***nobilitate*** oriri solent. Tac. Ann. 1, 29. Plaut. Mil. Gl. 4, 8, 14;" quibus addit Ed. Germ. Tac. Hist. 1, 30. Liv. 38, 54. Idem et Forc. huc potuerunt referre Vellei. 2, 43, 4. Sall. Iug. 64: ***superbia commune nobilitatis malum.*** —, Beier. ad Off. 1, p. 280; quamquam non negandum ***nobilitatem*** in nobilibus contineri. AXT.

V. 18 — 19.

Cur facil. fluctib. ut s. Orb. sid. rot.) ***facilem,*** facile agitandum fluctibus. ***suis orbum sideribus,*** mente sua occoecatum, quasi nautam in patente mari prensum, cui certa sidera non fulgent. Hor. C. II, 16, 3. WERNSD.

suis orbum sideribus.) Ductum a navigantibus, qui noctu cynosuram suam respiciebant. Sidera paupertatis dicit sapientiam, temperantiam, humanarum rerum contemtum, quibus qui orbatus sit, in eum quid sibi fortuna non permittit? BAYER.

Confer Lucret. 6, 33:

Volvere curarum tristes in pectore fluctus.

Catull. 64, 62. Virg. Aen. 18, 19. Apul. Oud. Tom. I. p. 358: *Psyche — aestu pelagi simile moerendo fluctuat.* Ibid. p. 814.

Pro *ut suis* malim: *et suis — rotat,* (cf. Caroli Reisigii Schol. de Gr. Lat. hab. ed. Haas. p. 420.) vel: *ut suis orbus — rotet,* vid. Heyn. ad Virg. Aen. 10, 362. 7, 27. Georg. 1, 513. Lindem. ad. Plaut. Mil. Gl. 2, 6, 102. Virg. Cul. v. 203, Liv. 40, 39: *terra movit.* Caes. B. C. 3, 73, 6: *detrimentum in bonum verteret.* Reisig. l. l. §. 174. Nescio, an Liv. 2, 31, 6. ita accipiendum sit; sed cap. Liv. 30, §. 13. Zumpt. §. 472. adscribendum et §. 6. *cedi* pro *credi* legendum esse scio. — Difficilius ita intelligitur Hom. Il. 6, 252. (vid. Schol.) qui usus vocis εἰσάγειν fugit Passov. in lex. — *Rigler: aut suis.* —

De verbis *suis — sid.* cf. Horat. Epod. 9, 29. Ovid. Tr. 3, 5, 4. Senec. N. Quaest. Praef. libr. I: *si navem suus ventus implevit* (vid Plaut. Mil. Gl. 4, 2, 6. et Hom. Il. 3, 11.). Qui Senecae locus etiam propterea memorabilis, quod ex eo veteribus Americam cognitam fuisse coniecerunt homines parum φιλόλογοι scilicet! Nimirum ita significant veteres utrumque orbis terrarum terminum. Cf. Lucian. Hermotim. 4; quamquam idem Lucianus Ver. Hist. 1, 5. de Columbi divinitatis gloria aliquantulum videtur detrahere. Adde, quem geographi afferunt, Senec. Med. v. 375 sqq.

De verbis *orb. sid.* vid. Vestr. 1, 11. AXT.

V. 20—21.

Illum splend. nox et dec. impr. Caec. praec.) *Splendida nox,* splendidus honor, cui multus timor, multa pericula ad-

iuncta sunt. *decor coecus*, qui coecutientes facit. WERNSDORF.

splendida nox) honores coniuncti cum obscuris periculis. *Decor improbe coecus*, iidem honores, in quibus insidiae tectae non sentiuntur. Seneca in Octavia v. 878:

bene paupertas
Humili tecto contenta latet;
Quatiunt altas saepe procellae
Aut evertit fortuna domos.

Hanc cantilenam Seneca perpetuo nobis insusurrat. BAYER.

Splendida nox insolentius dictum, comparari tamen potest ex altera parte, quod apud Horatium legitur Serm. I, 9, 72: *Hunccine solem Tam nigrum surrexe mihi.* cf. etiam Catull. c. VIII, 3: *fulsere quondam candidi tibi soles.* RIGLER.

In voce *illum* notanda videtur oratio dissoluta et fluctuans; sed *illum* pertinet ad ea, quae proxime dicta sunt; significat enim eum, qui Paupertatem non habeat *matrem* et *reginam*, quique *rotetur sid. s. orbus* et *nobilitatis* opes et honores appetat. *Illum* igitur sonat *eiusmodi hominem.* — *Rigler*, qui *illum* eundem esse poneret, quem *non versari nobilitate* paullo supra dixisset poeta, coniecit: *illam*, sc. *nobil.*

De oxymoro *spl. noctis* cf. Horat 3, 11, 35: *splendide mendax.* Adde Vestr. 1, 20—22. Hor. C. 3, 25, 18:

Dulce periculum est,
O Lenaee, sequi deum
Cingentem viridi tempora pampino. —,

quem imitatus Stat. Silv. 4, 5, 25:

Cum tu sodalis dulce periculum
Connisus omni pectore tolleres;
Ut Castor ad cunctos tremebat
Bebryciae strepitus arenae.

Horatium cum Clement. Alex. exhort. ad gent. pag. 75. Pott. communem Graecum auctorem secutum esse manifestum est: *καλὸς ὁ κίνδυνος, αὐτομολεῖν πρὸς Θεόν* —, quod videtur fugisse interpretes. Cf. Plat. Phaedon. p. 114. 115. Oxymori caussa haec cf. exempla: Lucret. 1, 99: *casta*

inceste, Horat. C. 1, 33, 12: ***saevo ioco,*** 1, 34, 2: ***insaniens sapientia,*** 2, 12, 26: ***facilis saevitia,*** 3, 4, 5: ***amabilis insania,*** Epist. 1, 11, 28: ***strenua inertia,*** 12, 19: ***concordia discors,*** Ep. ad Pis. 374: ***symphonia discors,*** Claudian. 22, 132: ***Luxuries praedulce malum,*** 100, 1—4: ***Siren — dulce malum, blanda pericla, terror gratus,*** Wernsdorf. P. L. M. 3. p. 226: ***spes dulce malum,*** Sil. Ital. 11, 35: ***probrosus honor,*** Apul. T. 1, 462. Oud. (Met. 6. p. 462.): ***Abiecto centunculo divite,*** ubi praeter Siliana, quae modo laudavi, interpretes haec etiam ex Apuleio afferunt: ***clemens violentia, pulsu lenientis palmulae exasperari, vagari errore certo, stimulis refrenari.*** — — Senec. de Br. vit. 11: ***desidiosa occupatio.*** 12: ***iners negotium.*** Tacit. Ann. 2, 75: ***infelix fecunditas.*** Hom. Il. 4, 104: φρένας ἄφρονι πεῖθεν. Soph. Antig. v. 74: ὅσια πανουργήσασα. Oed. Col. v. 277—8. Br.:

> καὶ μὴ θεοὺς τιμῶντες, εἶτα τοὺς θεοὺς
> μοῖραν ποιεῖσθε μηδαμῶς.

Br. Gnom. p. 308, v. 140:

> Τερπνὸν κακὸν πέφυκεν ἀνθρώποις γυνή.

Maneth. Apot. 1, 280:

> γεννῶσιν βασιλῆα, θεὸν βροτὸν ἀνθρώποισιν.

Adde Nonn. 26, 104. et F. Jacobs. Flor. Poet. Lat. 2. p. 338. Constat hoc genus maxime placuisse Heraclito Ephesio; vid. Menag. ad Diog. Laert. 9, 6. Denique fieri non potuit, quin is, qui cuiusvis suavitatis artifex erat, Shakspearius, hoc quoque orationis lumen rebus suis egregie adhiberet, velut Rom. et Jul. 3, 2: Jul.:

> ***Beautiful tyrant! Fiend angelical!***
> ***Dove-feather'd raven! Wolvish-ravening lamb!***
> ***A damned saint, an honöurable villain!*** cet.

Neque ab re erit haec Sophoclea contulisse: Antig. v. 1081. ed. Br. (Boeckh. apud Wund. v. 1062.), v. 925—26. (Wund. v. 911—13.) Oed. Col. v. 74. 138—39. ed. Br., v. 209—20. Reisig. — Vid. etiam quae ad Vest. 3, 12. annotavimus.

Ceterum confer de ipsa *splend. noct.* annot. ad Vestr. 1, 8—9. 12—13. 3, 12.

De verbis *decor impr. coec.* Stat. 1, 3, 92. contra:

Hic premitur foecunda quies virtusque serena
Fronte gravis, sanusque decor, luxuque carentes
Deliciae cet.

Sed al. ibid. *nitor.* — De voce *improb.* cf. *Gronov.* Diatr. in Silv. Stat. tom. 1. p. 307. ed. Hand., Fr. Jac. Flor. Poet. Lat. 2, p. 338. 1, p. 204; significat *immoderate, vehementer, nimis,* ut ipsum adiectivum. *Rigler* similiter *male* dici monuit et attulit Heind. ad Serm. 1, 2, 129.

De verbis dec. impr. c. praecipit. cf. Sall. Jug. c. 41: *Ita cum potentia avaritia sine modo modestiaque invadere; polluere et vastare omnia; nihil pensi neque sancti habere, quoad semet ipsa praecipitavit.* Cic. Verr. 2, 1, 2. extr. 3. init.: „multa enim et in deos et in homines impie nefarieque commisit, quorum scelerum poenis agitatur et a mente consilioque deducitur. Agunt eum praecipitem poenae civium Romanorum, quos partim securi percussit, partim in vinculis necavit, partim implorantes iura libertatis et civitatis in crucem sustulit." — Ovid. Tr. 3, 4, 17—32:

Qui cadit in plano, vix hoc tamen evenit ipsum,
Sic cadit, ut tacta surgere possit humo:
At miser Elpenor tecto delapsus ab alto
Occurrit regi debilis umbra suo.
Quid fuit, ut tutas agitarit Daedalus alas;
Icarus immensas nomine signet aquas?
Nempe quod hic alte, demissius ille volabat.
Nam pennas ambo non habuere suas?
Crede mihi; bene qui latuit, bene vixit: et intra
Fortunam debet quisque manere suam.
Non foret Eumedes orbus, si filius eius
Stultus Achilleos non adamasset equos:
Nec natum in flamma vidisset, in arbore natas,
Cepisset genitor si Phaëthonta Merops.
Tu quoque formida nimium sublimia semper;
Propositique memor contrahe vela tui.

(Vd. p. 74.) Br. Gnom. p. 322. v. 422:

> Μὴ σπεῦδε πλουτεῖν, μὴ ταχὺς πένης γένῃ.
> Οὐδεὶς ἐπλούτησεν ταχέως δίκαιος ὤν.

Lucian. Gall. 22—24: τοιγαροῦν οἱ μὲν αὐτῶν (scil. τῶν πλουσίων) ὥσπερ ὁ Ἴκαρος ἐπιπολὺ ἀράντες αὐτοὺς, καὶ πλησιάσαντες τῷ ἡλίῳ, οὐκ εἰδότες, ὅτι κηρῷ ἥρμοστο αὐτοῖς ἡ πτέρωσις, μέγαν ἐνίοτε τὸν πάταγον ἐποίησαν, ἐπὶ κεφαλὴν ἐς πέλαγος ἐμπεσόντες ὅσοι δὲ κατὰ τὸν Δαίδαλον μὴ πάνυ μετέωρα μηδὲ ὑψηλὰ ἐφρόνησαν, ἀλλὰ πρόσγεια, ὡς νοτίζεσθαι ἐνίοτε τῇ ἅλμῃ τὸν κηρὸν, ὡς τὸ πολὺ οὗτοι ἀσφαλῶς διέπτησαν. Cynic. fin., Pindar. Ol. 1, 87—90: ed. Heyn.

> ἀλλὰ γὰρ κατα-
> πέψαι μέγαν ὄλβον οὐκ ἐδυ-
> νάσθη, κόρῳ δ' ἕλεν
> Ἄταν ὑπέροπλον, —

Juvenal. 1, 140:

> *Hinc subitae mortes atque intestata senectus. —*

Rigler attulit Soph. Aiac. 1061.

De verbis ***caec. praec.*** cf. annot. ad Vestr. 4, 1—2. Hor. Sat. 2, 3, 43—44:

> *Quem mala stultitia et quemcunque inscitia veri*
> *Caecum agit, insanum Chrysippi porticus et grex*
> *Autumat. —,*

ubi v. 56: ***At nihilo*** legendum. — Cic. pro Pl. 3: ***caecum et praecipitem ferri.*** De Amicit. 15: ***Non solum ipsa Fortuna caeca est, sed eos etiam plerumque efficit caecos, quos complexa est.*** — Vid. Lexic. et indic. Virgil. s. v. ***caec.*** et Fr. Jacobs. Flor. Poet. Lat. 2, p. 317. 473.

Quae post ***praecipitant*** in codice fuit lacuna, ego sic explere sum conatus:

> *— — latens*
> *Et frangit cupidum mox scopulus caput. —*

Latens* — *scopulus: cf. Virg. Aen. 1, 108: ***saxa latentia,*** ibid. 3, 535. Apud Vestritium, vel potius apud me, ***scopulum*** cogita, ut in tempestate, aquis obrutum, vel eminentem quidem, sed qui nautas, ut *caecos, fallat.*

cupidum est animi perturbationibus, irae obnoxium, ambitiosum, avarum, libidinosum; vid. Tibull. 1, 1, 76:

Hic ego dux, milesque bonus; vos, signa tubaeque,
Ite procul; cupidis vulnera ferte viris.

Apud Ovid. Art. Amand. 1, 116. sunt *cupidae manus* et Am. 3, 7, 9. *cupida lingua.* — Vid. Forc., cui adde Ovid. Her. 20, 48: *cupidus sinus.* Vid. annotat. ad Vestr. 1, 8; 12 — 13. p. 44. 54.

capitis vox multis locis ita legitur, velut apud Ovid. Trist. 3, 2, 26:

Cur ego tot gladios fugi, totiesque minata
Obruit infelix nulla procella caput? —

Item Graeci κεφαλή, κάρα; vid. Forc. et Passov. Sed Horat. Carm. 2, 13, 12. proprie:

Te triste lignum, te caducum
In domini caput immerentis.

Contra contendi possunt σῶμα et corpus; vid. Pass. lex. et Forc., Sophocl. Antig. 676. Liv. 29, 21. Curt. 5, 13. Tac. H. 2, 32. Ann. 4, 72. Ovid. Am. 3, 4, 33. Virg. A. 9, 272. — Zumpt. igitur §. 678. angustius definit. AXT.

III.

V. 1.

Postquam fixa solo.) Eum dicit, qui relictis et magistratibus et honoribus otio se tradit, sed minime liberali. BAYER.

Virg. Aen. 6, 469: *solo fixos oculos,* quos *Doer.* non male restituere voluit Hor. 1, 3, 18., nisi forte *sicci oculi* significant omne *callum animi,* vid. Ovid. Art. Am. 2, 686:

Odi, quae praebet, quia sit praebere necesse,
Siccaque de lana cogitat ipsa sua.

Sed incommode accidit, quod, quum poeta metri caussa epitheti enallage uteretur, (debebat enim proprie: ***siccus oculis,*** i. e. ***siccus suis oculis,*** scribere, vid. annotat. ad Vestr. 1, v. 8; 12—13. 2, 6—8. fin. p. 44. 54. 77.) id ei non venit in mentem, ***siccos oculos*** vulgo sonare ***lacrimis carentes.—Herm. Paldamus*** ad Propert. p. 258. coniecit: ***invictis.— Bernhardt. Thierschius*** in Progr. Tremon. 1838. p. 13. ***siccis*** substantive positum esse et fundum maris tempestate denudatum significari opinatur, velut apud Virg. A. 1, 106. An ita ***in*** praepositio revocanda sit, dubitat. — ***Ancoram figere*** legitur etiam apud Ovid. Met. 1, 297. — Succurrit hic alius Horatii locus, C. 3, 24, 6., ubi putant poetam nobis serio narrare homines, quibus trabales clavi in capita ***summa,*** (quod ***ornans*** vocant ***epitheton,*** vd. Cic. Rosc. Com. §. 20. c. 7.) ***infixi*** sint, necessario timere et occumbere mortem. Imo ***vertices*** dixit Horatius capita clavorum, quos Necessitas ***totos*** infigit. ***Summ. vertic.*** enim est dativus, i. e. usque ad capita, i. e. firmissime eos constringit, ut effugere nequeant. Nec quaerendum, quo in loco figat clavos; tota enim locutio est symbolica, qua vis Necessitatis inevitabilis depingitur. Tantum apparet, hominem clavis affigi; nihil autem firmius tenetur clavis confixo. Similiter apud Sophocl. Antig. v. 40. et 1111. Br. non certa res cogitari potest, quae ad verba λύειν et ἐφάπτειν et δεῖν et ἐκλύεσθαι referatur, ut vehementer peccent, qui v. 1111. Antigonam proprie vinctam dici opinantur, velut ***J. J. C. Donner.*** Adde Evang. Matth. 16, 19: καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδημένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς, cet. Quae verba quomodo superstitiosi et fanatici homines et simulatores avari imperiosique interpretati sint, omnibus est notum: — qua ratione accipienda sint, nemo peritius, doctius, splendidius, gravius demonstravit, quam Auctor Germanicarum Scidarum, [1]) vir sapientissimus, sanctissimus, fortissimus

---

[1]) Deutsche Blätter für Protest. und Kath. Eine hist.-polit. Zeitschrift in zwangl. Heften. — II. Heft. Heidelb. 1839. Acad. Verlagshandl. von *C. F. Winter.* Pag. 8—66.

omninmque rerum tenens memoriam, civis autem optimus et acerrimus, cuius qui vocem nondum audiverit, in caussa publica episcopi Coloniensis nihil dum se audivisse sciat. — AXT.

V. 2—3.

Spernit fluctiv. anc. nav. In saev. pel. sequ.) Graecismus. i. e. non patitur, se extrahi terrae, sed tenacius inhaeret, ne possit navita egredi in mare. Ovid. Trist. III, 9, 14: dum solvitur aggere funis, dum sequitur celeres anchora tracta manus. WERNSDORF.

Tibulli quidem *pinus contemnit* 1, 3, 37. (vid. F. Iacobs. Flor. Poet. Lat. 2. p. 64.), et Hercules Ovid. Met. 9, 117. *obsequio deferri spernit aquarum,* sed haec *ancora* timet; itaque *spernit* hic prima ac propria vi sua dictum est. Vid. Plaut. Capt. 3, 3, 2. Lindem. — *Fluctivagus* etiam Stat. Silv. 3, 1, 84. Antiquiores hac voce non usi videntur. *Solivagus* aliquoties ipse Tullius et *montivagus*. — Ovid. Met. 14, 559: *saevo pelago*. AXT.

V. 4.

Quam vitat gravido perniciem mari.) belluarum, tempestatum, periculorum pleno. Supra od. 1. v. 13: gravida spes. Auctor Elegiae de Spe v. 19: foeta procellis aequora. WERNSDORF.

Ita simpliciter etiam Sil. Ital. 2, 56: *gravidum lunae cornu* et Ovid. Tr. 1, 2, 107. *gravidae nubes*. — Virg. Aen. 8, 671: *mare tumidum*; 5, 820: *aequor aquis tumidum.* Hor. C. 1, 3, 19: *mare turgidum*. — C. 3, 27, 27: *scatentem belluis pontum*. 4, 14, 47: *belluosus Oceanus*. Theocr.: πολυκήτης, quod quidem Passov. interpretatur: multos aut magnos pisces habens; sed cf. eundem s. v. βαθυκήτης et μεγακήτης.

Breviloquentia verborum: *Quam — pernic. mari,* Graecis et Germanis usitatissima, non raro apud poetas Latinos et

scriptores orationis prosae dictione illis similes, rarissime apud Cic. reperitur: vid. quae ad. Vestr. 1, 1. annotavimus (p. 33.) et adde Sallust. Iug. 19: *multitudo domi.* Cic. off. 1, §. 3: *hos de philosophia libros.* §. 22: *hominum inter homines societatem.* Brut. c. 3: *ad Nolam praelium.* De Orat. 1, §. 105: *Graeci alicuius quotidianam loquacitatem sine usu neque ex scholis cantilenam.* 2, §. 160: *Erat ab isto Aristotele.* (§. 65.) 2, §. 200: *alienissimis a me, sed meis tamen civibus.* — Tusc. 5, 98: *labor in venatu.* 100: *clarum Athenis virum.* De Nat. D. 2, §. 3: *de diis immortalibus quaestio.* Brut. §. 31: *philosophia, non illa de natura.* Arch. c. 9: *summum Athenis virum.* De Divin. 1, 48: *item augur.* Ad. Attic. 8, 3: *hoc ab urbe discessu.* Liv. 1. 50: *Turnus Herdonius ab Aricia.* 2, 3: *litteras ab Tarquiniis.* 2, 13: *legati a Porsenna* (c. 63, 6. 48, 6.); ibid. c. 5: *superbus quondam rex, tum infestus exsul.* 14: *prope iam victor.* 15: *mea vobiscum pax.* 2, 40: *filios ex Marcio.* 47: *eximia eo bello opera* (46, §. 2.) 54: *discordia domi.* L. 4, 13: *Maelius ex equestri ordine.* Tac. Agric. 6: *gnarus sub Nerone temporum.* Plin. Epist. 3, 5: *latissime victor.* — Virg. Aen. 1, 313: *hastilia lato ferro.* 2, 662: *abiete puppes.* 5, 272: *irrisam sine honore ratem.* 6, 534: *tristes sine sole domos.* Hor. Carm. 3, 13, 2: *digne mero non sine floribus.* Ibid. 4, 20: *non sine dis animosus infans.* 3, 17, 1: *nobilis ab Lamo.* Ovid. Tr. 3, 3. 40: *in extremis et sine pace locis.* Hor. Carm. 3, 17, 9: *late tyrannus.* Serm. 1, 10, 2: *fautor inepte.* Ovid. Trist 2, 7, 7: *crudeliter hostis.* Wernsd. Poet. Min. 3. p. 487: *semper pudor.* Ter. Andr. 1, 2, 4: *semper lenitas;* cf. Buttm. Gr. Gr. §. 125. annot., qui pariter errat, quum *comicum* tantum hunc *usum* appellat, atque alii, qui in illo Terentii exemplo *semper* ad verbum referunt; nam durius hoc hyperbaton, quam quod Terentianae elegantiae impingi possit. — Cf. Zumpt. Gr. L. §. 262. 304. f. 308. 309. f. Grotef. §. 133, 3. Reuscher. Gr. L. 2, §. 20, 3., Weissenborn. p. 240—3., Sanct. Min. p. 571. ed. Periz., Reis. Schol. de Gramm. Lat. hab. ed. Haas. p. 392. Varium est hoc

genus, cuius speciem aliquam tangit etiam Heind. ad Sat. 1, 6, 51. Eodem refer Liv. 2, 64, 3: *Sabini — a porta prope Collina — pulsi.* — Krebs. Antib. p. 21 et 41. videtur nimius. AXT.

V. 5.

In suo reperit sinu.) Barthius in secunda editione in Advers. dedit *repetit.* sed praefero *reperit. In suo sinu,* h. e. *in se ipso.* Videtur esse idiotismus Spurinnae. Vid. od. II, v. 13. WERNSDORF. — *reperit* sine dubio; in Ms.: *in suo repetit;* at si cui choreus non placet, legat *sicco,* quod etiam sensus postulat. BAYER. —

De trochaeo vid. annot. ad Vestr. 1, 17; ubi Bayer in hoc pede adeo acquievit, ut eum vel corrupto Horatii exemplo confirmare vellet (C. 1, 15, 36., cui addere potuit v. 24.). Mirum igitur, quod hoc loco in *choreo* offendit. — *In suo sinu* utique est *in se ipso,* cui opponitur mare. Forc.: „in visceribus, in intima parte. — In sinum condi solent, quae clam alios esse volumus. — Suet. Aug. 35. Herc. F. 1010." — Vid. annot. ad Vestr. 2, 11 — 13. (p. 80 — 81.) et cf. Catull. 22, 17: *Tam gaudet in se* (p. 75.). —

De *reperit* verbo cf. Ovid. Met. 8, 333: *cupiunt reperire periclum.* Plaut. Amph. 1, 1, 130: *infortunium invenire.* Phaedr. Fab. 1, 31, 2. Maneth. Apotelesm. 1, 39: *κινδύνους εὑρίσκουσιν.* Pindar. ἄδηλ. XII, 9: Οὔτις ἑκὼν κακὸν εὕρατο. Soph. Trachin. 25: *μή μοι τὸ κάλλος ἄλγος ἐξεύροι ποτε.* Cic. de orat. 2, §. 257: *Numium divisorem — nomen invenisse.* AXT.

V. 6.

tumid. agg. dent.) *tumidis* * Lego: *Haerentem* timidis nam male *dentibus. timidis* explico *inertibus,* qui exire timent, vel qui timide et ignave trahuntur. *dentes* sunt unci anchorae, quibus infiguntur terrae, sicut et vomer aratri dens dicitur. Virg. Aen. 1, 169: unco non alligat anchora morsu, et Aen. 6, 3: tum dente tenaci Ancora fundabat naves. — *Ut*

timidos dentes ancorae hoc loco Spurinna sic Martialis Lib. I, 105, 18. dicit leones *timidos tenere dentes,* qui cessant dentes comprimere et infigere praedae. Idem Lib. 1. ep. 7: *Illaesum timidis unguibus haesit onus.* WERNSDORF.

tumidis littore dentibus.) Barthius e Ms. *tumidis dentibus.* Etiam Virgilius dentes atque morsus ancorae tribuit. BAYER.

Fortasse *tumidis* explicari potest *turgidis, squalidis et luridis ferrugine;* quod fere dentium genus est Petronianae Discordiae c. 124, 274:

Stabant aerati scabra rubigine dentes.

Vocem *aggere* ego de meo addidi. *Aggere* saltem, ut minus universe dictum, magis poeticum, quam Bayeri *littore.* Forc.: Agg.: *pro mole ad aquas arcendas.* Virg. Aen. 2, 496. Hinc pro ipso maris littore. 5, 113. Ovid. Trist. 3, 9. 13: *solvitur aggere funis.* — Wernsdorfii *nam male* languidum et otiosum. — AXT.

V. 7.

Aerug. propr. exed.) Similiter Catull. in Epithal. Pel. v. 42: *Squalida desertis robigo infertur aratris.* WERNSDORF.

De voce *propr.* cf. annotat. ad Vestr. 2, 13. — Virg. G. 1, 495: *Exesa inveniet scabra robigine pila.* — De voce *propria* vid. annotat. ad Vestr. 2, 13. p. 80. AXT.

V. 8 — 11.

Ni te desid. sanct. q. lev. — Priv. quat. f. tum. In te ludere pervicax.) *Sancta quies* est a sanctitate animi ducta, officiis et honoribus sancte gestis promerita. *levet te desidia,* liberet crimine desidiae et inertiae, a qua ipsa dissidet, quae, quod molestum est, non curet vincere, sed fugiat. Sen. Epist. 3: *Haec non est quies, quae motum omnem molestiam*

iudicat, sed dissolutio et languor. Idem epist. 55: *Multum interest, utrum vita tua otiosa sit, an ignava.* Quod hic Vestritius praecipit, hoc ad exemplum eius Plinius praecipit sibi, Lib. III. epist. 1. extr: *Igitur eundem mihi cursum, eundem terminum statuo: idque iam nunc apud te subsigno: ut si me longius evehi videris, in ius voces ad hanc epistolam meam, et quiescere iubeas, quum inertiae crimen effugero* (p. 6). Idem Lib. IV. epist. 24. extr.: *Quando per aetatem honestum erit imitari istud pulcherrimae quietis exemplum? Quando secessus mei non desidiae nomen, sed tranquillitatis accipient?*

Privatis tumult. affectibus animi, cupiditate, timore, invidia atque hinc orientibus votis et questibus. *quaties fata,* commovebis et sollicitabis, ut te excrucient. Ita usus est Hor. C. I, 18, 11: *non ego te, candide Bassareu, Invitum quatiam.* Sed et *tumultus pectora quatit* apud Senec. in Thyeste v. 260.

in te ludere perv. ut ipsa Fortuna Horatio C. III, 29, 50, dicitur, *ludum insolentem ludere pertinax.* WERNSDORF.

nisi te sancta quies, philosophiae studium ab desidia levet. BAYER.

Praeclarissime in hanc sententiam Seneca Epist. 82. init. scribit: „Multum interest inter otium et conditivum. cet. Otium sine litteris mors est, et hominis vivi sepultura. cet. Quae latebra est, in quam non intret metus mortis? cet. Multa extra sunt, quae circumeunt nos, quo aut fallant, aut urgeant; multa intus, quae etiam in media solitudine exaestuant. Philosophia circumdanda est, inexpugnabilis murus, quem fortuna multis machinis lacessitum non transit." cet. De Brevit. Vit. c. 11: „Quorundam otium occupatum est: in villa aut in lecto suo, in media solitudine, quamvis ab omnibus recesserunt, sibi isti molesti sunt; quorum non otiosa vita est dicenda, sed desidiosa occupatio." Tac. Agric. 6: „— — gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit." — Hor. Sat. 2, 3, 13:

Invidiam placare paras virtute relicta?
Contemnere miser. Vitanda est improba Siren
Desidia, aut quidquid vita meliore parasti,
Ponendum aequo animo.

Ennius apud Gellium, 19, 10:

Otio qui nescit uti, plus negoti habet,
Quam quum est negotium in negotio.
Nam cui quod agat, institutum est, nullo negotio
Id agit. studet ibi. mentem atque animum delectat suum.
Otioso in *otio animus nescit, quid velit.*
Hoc idem est: neque domi nunc nos nec militiae sumus;
Imus huc; hinc illuc; quum illuc ventum est, ire illinc lubet;
Incertus errat animus: praeter propter vitam vivitur. —

Vd. *Düntz.*, V. D., in Mus. Rhenan. Welcker. et Naek. 1838. p. 446. —

Versum 10: ***Privat. quat. fat. tum.***, affert Mitscherlichius ad Horat. 2, 16, 9. cum Senec. Epist. 56: „Omnia licet foris resonent, dum intus nihil tumultus sit, dum inter se non rixentur cupiditates et timor, dum avaritia luxuriaque non dissideant, nec altera alteram vexet; nam quid prodest totius regionis silentium, si affectus fremunt." — Horat. Epist. I, 1, 61. Heind. ad Sat. 2, 3, 208:

Qui species alias veri scelerisque tumultu
Permixtas capiet, commotus habebitur, atque
Stultitiane erret, nihilum distabit, an ira. —

Forcell.: „Tumult. de perturb. animi et mentis ex cogitationibus in diversa trahentibus. Herc. Fur. 1219:

Nondum tumultu pectus attonito caret." —

De verbis ***quaties fata*** cf. Meyer. Anthol. 2, p. 116, v. 17—18:

Parce tuam, coniux, fletu quassare iuventam
Fataque maerendo sollicitare mea.

Horat. Epist. 1, 10, 30—31. C. 3, 3, 4:

Troiae renascens alite lugubri
Fortuna tristi clade iterabitur.

(Versu 8. carminis 18. libr. I., quem locum Wernsdorf. attulit, perfice ea, quae Zumpt. Gr. Lat. §. 320. de praepos. *super* praecipit.) ***Fata quatere,*** quum fati sit vox media, fieri potest, ut significet aut ***bonam fortunam turbare*** aut ***malam excitare;*** cf. Ovid. Trist. 5, 8, 10: ***Fata mea pede calcas.*** Senec. Herc. Oet. 107:

> *Quisquis sub pedibus fata rapacia*
> *Et puppem posuit fluminis ultimi.* —

Adde Hor. C. 3, 3, 61—2., Virg. Aen. 3, 16; nam nunc nulla est Troiae ***fortuna;*** ipsa enim Troia non est. Syntaxis ***in te ludere*** eadem videtur, quam Terent. Eun. 5, 4, 20. (vid. Var. Script.), Andr. 4, 4, 19. compositi ***illudere*** esse voluit. Teste Forc. Paul. in Dig. dixit: ***in pecuniam ludere,*** i. e. pecunia. Adde Prop. 2, 5, 4. — Sed ***in te*** fortasse de loco accipiendum, ubi ludit. Quem igitur? — Ipse ***se ipsum,*** opinor, ***in se ipso ludit.*** Nam ***ludere*** absolute dictum significat ***iocari.*** Utut est, certe hac annotatione Zumptiana Gr. L. §. 417. consummabis. — Peccant, qui, ut Doeringius ad Horat. 3, 3, 50., in his infinitivis, ***ludere pervicax,*** caussalem quandam vim inesse posse arbitrentur, siquidem illi ubique tantummodo continent eam rem, cuius aliquis efficiendae habet facultatem. AXT.

V. 12 — 13.

Nos * vig. somn. * furor Tortis lib. ang.) Coniecturis haec explere vanus sit labor. Versu tertio a fine in MS. est ***fruor;*** cui substitutus a nobis furor. nec enim puto aliud melius reperiri posse. BARTH. Ego sic tentabo: ***Nos tanquam vigilans somnus habet, furor tortis liber et anguibus.*** Videant alii.

Liber anguibus, qui nullis quidem diris agitatur, sine terrore et cruciatu animi est. Sic Turnus in Satyra v. 9. angues opponere anguibus dicit, pro Diris. Videtur Spurinna respexisse verba Horatii Epod. V, 92: Nocturnus occurram furor: Petamque vultus umbra curvis unguibus. Caeterum Bayerus plane aliter hos versus corrigit:

Noctes et vigilans somnia si furor
Tortis non librat anguibus.

WERNSDORF.

noctes et vigilans.) In MS.:

*Nos * vigilans somnis furor*
Tortis liberat anguibus.

Si, inquit, vigilans furor noctes et somnia non librat (sic) tortis anguibus, si facinorum conscientia noctes et somnia non suis exagitat terroribus, tamen minor aliqua cura inerti semper molesta erit. ***Presso pede***, ut Horatius L. I. C. XXVII:

et cubito remanete presso.

BAYER.

Pronomen ***nos***, quum poeta communem humanam naturam eo significet, non sine vi quadam tenet primum locum, licet non sit totius sententiae caput. Cf. Vestr. 1, 14. et Horat. C. 3, 28, 9., ubi alia ratio est. — ***Quamquam*** et ***sic*** addidi de meo. ***Bayer***, quum lacunas explere vellet, in prosodiam peccavit; Wernsdorfius id non curavit, ut sententiae inter se aptae essent. Locum igitur ita construe: ***Quamquam furor, somnia vigilans, sic nos tortis anguibus liberat, at gracilis Cura presso pede manet:*** id est: etiam ***sic***, si in otio quidem vivimus, sed non in ***sancto*** otio, aliquo correpti tenemur furore, qui nos noctu placide dormire aut omnino quieto animo esse non sinit, sed semisomnos tristibus visis vexat; at hic ***furor*** levior illo est, quo agitati homines ambitiosi et avari per noctem semisomni, aut interdiu quasi semisomni, sibi Furiarum serpentibus pungi videntur. — ***Liberare*** igitur nos dicitur hic ***furor*** — πᾶς ἄφρων μαίνεται — propterea, quia ut lenior aliquis nos tenet, ita ut saeviore careamus. Perplexum et ficte pugnans dicendi genus noli incusare; tali enim breviloquentia utuntur aliquando optimi quique poetae et scriptores, velut Virg. Aen. 3, 70: ***placataque venti dant maria,*** ibid. 5, 763, Eclog. 2, 26 (Heyne): ***Quum placidum ventis staret mare.*** Aen. 5, 302:

Multi praeterea, quos fama obscura recondit.

7, 265:

Adveniat, vultus neve exhorrescat amicos. —,

Hor. C. I, 3, 15—16:

Quo non arbiter Hadriae
Maior, tollere seu ponere volt freta.

Cic. Catil. 3, §. 16: ***Quem quidem ego quum ex urbe pellebam, hoc providebam*** ... ***remoto Catilina nec mihi esse P. Lentuli somnum — — pertimescendum.*** Sophocl. Aiac. 659. (Herm.), Toepfer. Progr. Luccav. 1831. p. 4., Progr. Wetzlar. 1835. p. 24.: Astrol. Maneth. annot. ad vers. 426., Soph. Trachin. 29—30., Antig. 710. 737. 911. 914—15. Wunder., Oed. Col. 815. ed. Br.: Reis. Enarr. 812., qui recte quidem τῶνδε servavit, sed falso ad puellas rettulit: imo τῶνδε pertinet ad συμμάχων; hoc enim dicit: Tu dolebis etiam sine his, i. e. ut socii nullo modo in partem rei vocentur. — Cf. etiam, quae oxymora e tragicis ad Vestr. 2, 20. (p. 86.) attulimus, et Matth. Gr. Gr. pag. 1308.

Hyperbaton vocis ***sic,*** ut minime insolens, facile condonabis, quippe quale itidem apud optimos quosque Latinitatis auctores reperiatur, velut apud Horat. Epod. 5, 81: ***amore sic mei flagres, uti***—. Serm. 1, 3, 132: ***Ut Alfenus — — tonsor erat, sapiens operis sic optimus omnis est opifex.*** Adde 1, 2, 36: ***Nolim laudarier, inquit, Sic me,*** —. Vers. 106.; 1, 5, 69. — Terent. Adelph. 2, 4, 10: ***tam ob parvolam rem.*** Propert. 2, 19, 2:

Tam *te formosam non pudet esse levem?* —

Horat. Serm. 2, 3, 62: ***huic ego volgus cet.*** Terent. Ad. 3, 2, 35: ***Qui se in sui gremio positurum dicebat patris.*** Liv. 2, 3, 2: ***Erant in Romana iuventute adolescentes aliquot, — quorum in regno libido solutior fuerat;*** ibidem 4, 6: ***qui iam antea id senserat agi;*** Liv. 2, 63, 7: ***utroque per iram consule ingresso fines.*** — Cic. de Orat. 2, §. 44: ***Cui primum mulieri hunc honorem — — tributum puto.*** Adde 1, 88: ***quibus ea reb.*** §. 104: ***iam huic stud. dedit.*** — Cic. pro Arch. §. 19: ***nos instituti rebus optimis non poetarum voce***

moveamur? §. 20: *Neque enim quisquam est tam aversus a Musis, qui* ***non*** *mandari versibus aeternum suorum laborum facile praeconium patiatur.* Caesar. B. G. 6, 29, 1: *constituit* ***non*** *progredi longius.* Ovid. l. l. pag. 50. Hor. C. 1, 15, 6: ***non*** *auriga piger.* — Nondum satis de hac re inquisitum. Vid. Feldbausch. Gr. Lat. §. 651. sqq., cui add. Lobeck. Paral. I, p. 64., Iahn., viri nobilissimi, Annal. phil. et paedag. IV, Suppl. 3. — 1836. pag. 456—471.

De locutione *vigilare somnia* cf. Gell. Praef.: *vigilias vigilare.* Stat. Theb. 12, 821: *vigilata Thebais.* (Fr. Iacobs. Flor. Poet. Lat. 2. p. 153.) Cic. Catil. 3. §. 16: *nihil erat, quod non ipse vigilaret.* —; quae pariter dici possunt atque *sudare proelium, aleam ludere;* cet., velut Virg. Aen. 5, 195: *Hoc vincite.* 155: *locum superare priorem* (vid. Heyn.), Propert. 1, 15, 39: *pallere colores.* 2, 34, 25: *insanire amores.* Auson. Ephem. 1. v. 7—8: *saginam tendere.* Mart. 9, 39: *ludere pericula.* De qua re vid. annotat. Vestr. 1. v. 15. pag. 57., Fr. Iac. l. l. p. 257., Wunder. ad Antig. 512. Eodem modo haec explicanda: Antig. v. 423. 743. 1151—5. Br. Num eodem referendum v. 1178: τοὖπος ἤνυσας, dubium. Aiac. v. 376.: αἷμα ἔδευσα. 491: λέχος ξυνῆλθον. v. 673: φέγγος φλέγειν. Trachin. Herm. 28—29: λέχος ξυστᾶσα. Herodot. 6, 9: μάχην νικᾶν, cet.

De terroribus nocturnis malorum cf. sanctissima dicta Iuven. 13, 192—198:

> — — *Cur tamen hos tu*
> *Evasisse putes, quos diri conscia facti*
> *Mens habet attonitos et surdo verbere caedit*
> *Occultum quatiente animo tortore flagellum?*
> *Poena autem vehemens et multo saevior illis,*
> *Quas et Caedicius gravis invenit et Rhadamanthus,*
> *Nocte dieque suum gestare in pectore testem.*

3, 55—58. et Aeschyl. Choëph. v. 281—88. Adde Sueton. Ner. 34. Cic. pro Rosc. Am. c. 24. §. 66—68. de Legg. 1, 14. de Republ. 3, 22. (Lact. 6, 8.): . . . *cui (deo) qui non parebit, ipse se fugiet ac naturam hominis asperna-*

bitur; hoc ipso luet maximas poenas, etiam si caetera supplicia, quae putantur, effugerit. Vid. Libell., quem conscripsi de Gymnasiis et de iis ludis, qui suas sibi res profitentur, Darmst. apud Iongh. 1840. p. 94—95. — Gallus denique Luciani philosophus quid de malorum regum vita et somnis sentiat, ipse narret: Τί πρῶτον εἴπω σοι, ὦ Μίκυλλε; τοὺς φόβους καὶ τὰ δείγματα καὶ τὰς ὑποψίας καὶ μῖσος τὸ παρὰ τῶν συνόντων καὶ ἐπιβουλὰς καὶ διὰ ταῦτα ὕπνον τε ὀλίγον, ἐπιπόλαιον κἀκεῖνον, καὶ ταραχῆς μεστὰ ὀνείρατα καὶ ἐννοίας πολυπλόκους. cet., c. 25. — *Rigler* affert. Cic. Parad. 2, 18. Lucan. 7, 784. Vid. annot. ad Vestr. 1, 11—13. 2, 16. sqq.

Sed ut iam supra submonui, equidem non pugnarem cum eo, qui in Vestritiano loco verba *vigilans somnia* non ad sola *noctis* somnia inter vigilandum et dormiendum suspensa referret, sed omnino ad hominis malo otio tabescentis veternum, ad vanas desidiosi animi curas, qualem Lucret. 3. 1058. seqq. egregie depingit:

Tu vero dubitabis et indignabere obire,
Mortua quoi vita est prope iam vivo atque videnti?
Qui somno partem maiorem conteris aevi?
Et vigilans stertis, nec somnia cernere cessas,
Sollicitamque geris cassa formidine mentem? cet.

Quintil. 6, 2, §. 30.: *otia animorum, et spes inanes, et velut somnia quaedam vigilantium.* — Cf. Fr. Iacobs. Flor. Poet. Lat. 2. p. 338., qui affert ad loc. Lucret. Soph. Antig. 1167—1171: ἔμψυχον νεκρόν, de eo, ὅς ἂν προδῷ τὰς ἡδονάς, cui adde Maneth. Apotel. 4, 541—546:

ψυχὴ γάρ μερόπων ἀμαθὴς νεκύεσσιν ὁμοίη. —

Plaut. Pseud. 1, 3, 152.:

Qui imperata effecta reddat, non qui vigilans dormiat.

Goeth. Tass. 4, 1, 1—11.

Restat, ut indicem, quae praeterea in mentem venerint huius loci supplementa:

Nam quamquam vigilans somnia sic furor
Tortis liber ab anguibus. —,

deinde:

Noctes nam vig. cet.
Tortis liberat cet.,

tertium:

Nostra nam vig. cet.
Tortis liberat cet. —

De *tortis anguibus* cf. Virg. G. 3, 38, quem locum si recte interpretatus est Servius, vereor, ne apud Vestritium scribendum sit: *torvis,* vid. Virgil. Aen. 6, 571; nisi hos quoque homines fingis *anguibus furialibus* quasi *religatos.* Sed Heynius l. l.: „*tortosque* facile quisque malit, et sic Pier. aliquot, ex Heinsianis autem solus Hamb. et Goth. sec." — Quid igitur, si apud Vestritium quoque cogitantur *vibrati* angues, *intentati*? —; vid. Forc. et Hippol. Sen. 534: *torta balista.* — Fortasse cuipiam *angues* etiam *torti* videantur dicti ratione habita gyrorum, quos trahere et in quos se colligere solent, vid. Virg. Aen. 2, 204; 208. 5, 85—86. Georg. 2, 154; Hom. Il. 2, 316: ἐλελιξάμενος 11, 39. 22, 95. Sophocl. Trach. 12: δράκων ἑλικτός. In Ant. v. 126. non est dubium, quin Argivi δράκοντος nomine significentur; dativus est incommodi. Vid. Erf. in ed. mai.

Lubet hic etiam de aliis quibusdam Sophocleis locis, qui ad manum sunt, quid senserim, commemorare. V. 60. Antig. repone καὶ pro ἤ; cf. 173. 177. Oed. C. 373. Br.; νόμου βίᾳ (v. 59.) caute et populariter; non videtur salva sententia omitti potuisse. Ad ἤ illud non potest afferri Aiac. v. 126., cet. — V. 229. Aiac. περίφαντος est illustris. V. 256. lege λαμπρὰς γὰρ ἀνὴρ στεροπὰς — ὅς λ., vid. Pass. lex. s. v. ἀΐσσω 2., vel λ. γὰρ ἅτε (vel ἅπερ) στερ. ἀ. ο. ν. αὖ λήγει. Hyperbata e tragicis attulit C. Reisig. Oed. Col. C. crit. pag. 166. 331. V. 287. κενάς est ἀναχρονισμός. V. 320. de ἀεί ποτε particulis cf. C. Schmidtii, aequalis mei, Racem. Eurip. 2. p. 4. sqq. (Progr. Bielef.) et Antig. 454. Wunder. — V. 360. Aiac. ποιμένων sanum; vid. Antig. 60; ut hoc loco Creon universe loquens se tamen spectat, item Aiax fidum

sociorum *in se suosque* animum praedicat, cf. Antig. 1056. 1172. Br., Sympos. Plat. p. 207. C.: γνοὺς ὅτι διδασκάλων δέομαι. Verba ποιμ. et ἐπαρκ. ita composuit, ut analogiam sequeretur verbi κήδεσθαι et similium. V. 384. lege νίν γε. V. 395. peccat Matth. p. 565; constanter capiti sententiae interiectio additur. V. 448. Passovium s. v. ἀπαΐσσω hic locus fugit. V. 476. προςθεῖσα: sc. τῷ κατθανεῖν. V. 614. cf. C. Schmidt. Racem. Eurip. 2. p. 6. — V. 646. sqq. Si haec ex animo ab Aiace dicerentur, placere possent; sed profecto μακροῦ καναριθμήτου χρόνου vim nunc quidem non est expertus. V. 651. Passov. peccat. V. 669 — 683. Haec declamatore, quam Sophocle digniora, (ut Antig. 905—910.; cf. Libelli mei, qui Lux et Caligo inscribitur, p. 291., Cliv. et Lips. 1838.); si quidem Aiax iam pro sano haberi vult. V. 938—9: lege γενναία γύναι — οἰμῶξαι δύην; nam quae in Stephani Thes. afferuntur exempla, alius sunt generis. Ceterum in Lobeckiano, quod a Wundero repetitum, numeris mendum est illatum; apud Xenoph. non leguntur illa verba Hellen. 5, 4, 11., sed 5, 4, 17. *Passovius* hanc totam vocis γενναῖος vim neglexit. V. 998 errat G. Hermannus; minime comparatur Aiax cum deo, sed βάξις, quae de Aiace (σου) percrebuerat, tam celeriter dicitur dispersa, ut dei cuiusdam (βάξις) videatur.

Sed redeamus ad serpentium gyros. Hos spectans Virg. Aen. 7, 351. serpentem ab Alecto in Amatae sinum subditum *tortile aurum fieri* narrat. Denique non est improbabile, *tortos angues* dici propterea, quod Furiarum capita iis redimita sunt, ut hoc epitheto ipso angues tanquam furiales accuratius declarentur. AXT.

V. 14.

presso grac. Cur. — ped.) Prop. 1, 1, 3: *impositis pedibus premere.* Virg. G. 2, 492: *subiicere pedibus.* Ovid. Tr. 3, 12, 47: *caput pedibus supponere;* ibid. 5, 8, 10: *calcare imposito pede.* Fast. 1, 702: *sub pede iacere.* Sen. Herc. Oet.

V. 107: *sub pedibus fata ponere.* Tacit. Hist. 1, 16: *aliquem cervicibus publicis depellere.* Vid. Wakef. ad Sophocl. Trach. 501. Erf. ed. mai. Frequens est haec imago in Orientalium litteris, vid. Lib. Reg. 1, 5, 3. Paul. ad Cor. 1, 15, 25. Huc refer etiam ἐπεμβαίνειν τινι; vid. Fr. Iacobs. Attic. 13, 20.; quod Latini ad verbum exprimunt: *insultare* (*iacenti,* Ovid. Tr. 2, 571.). Metaphora depromta a leonibus, canibus, ceteris id genus bestiis, quae praedam impositis pedibus vindicant et lacerant. Sed dolendum, hunc immanium belluarum morem homines non solum verbis, sed re quoque esse imitatos, vid. Virg. Aen. 10, 495. 12, 356. — Apud Apollon. Rhod. 2, 220—21. *Furia in Phinei oculos pedibus insultat,* ut apud Britannum tragicum, Lear. Reg. act. III. scen. 7.

Gracilis cura est *tenuis.* Ovid. ita dicit *materiam,* Apul. *pauperiem, larem,* Quintil. *oratorem.* — Virg. Cul. 1.:

Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia: —

De *Cura ipsa* cf. Virg. Aen. 6, 274:

Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
Luctus et ultrices posuere cubilia ***Curae.***

Horat. C. 2, 16, 12:

Non enim gazae neque consularis
Summovet lictor miseros tumultus
Mentis et ***Curas*** *laqueata circum*
Tecta volantes.

22:

Scandit aeratas vitiosa naves
Cura *nec turmas equitum relinquit,*
Ocior cervis et agente nimbos
Ocior Euro.

3, 1, 33. sqq.:

Contracta pisces aequora sentiunt
Iactis in altum molibus; huc frequens
Caementa demittit redemtor
Cum famulis dominusque terrae

Fastidiosus. Sed Timor et Minae
Scandunt eodem, quo dominus, neque
Decedit aerata triremi et
***Post equitem sedet atra Cura.*—,**

cuius loci vim optime persentiscant rustici Clivenses, qui hoc vehiculi genere rite uxores suas in urbes ad nundinas aut in proximos vicos ad paganalia secum adducunt. Videtur hic Flaccum ob oculos habuisse Tasso Hier. Liber. 20, 117:

Mezza tra furiosa e sbigottita
Scende, ed ascende un suo destriero in fretta.
Vassene, e fugge: e van seco pur anco
Sdegno ed Amor, quasi duo veltri al fianco.

AXT.

IV.

V. 1.

Ingrat. neb. des. cap.) Nullo apice haec aliter sunt descripta in codice vetustissimo: nisi quod ***desidie*** scriptum; ut nulla diphtongo id genus utitur. ėt ***facilit,*** non ***facilis,*** praefert. BARTH. Barthius igitur ex ***desidie,*** quod in codice reperiebat; fecit ***desidii,*** quod tamen vocabulum nullum est, nisi velis solitarium Spurinnae existimare, pro ***desidia*** dictum, ut Calpurnius ***discordium*** pro discordia dixit, Ecl. I, 57. Haec autem dubia lectio facit, ut subiectum orationis, eoque sensum certum, reperire nequeàs. Si ***disidii,*** quod Barthius fecit, ad ***Ingrati*** referendum est, malim ego legere ***dissidii,*** ut subiectum orationis sit ***caput trepidum,*** h. e. trepidi, timidi hominis, hoc sensu: ***Qui timidus*** natura est, ille semper dissidet secum, et quasi nebula circumfusus haeret, ut, quid factu opus sit, non videat. id vero ingratum est cordatis hominibus. Sed fere planius ad sensum esse videtur, si ***nebulae desidiae*** legamus, et coniungamus ***Ingrati*** hominis ***caput trepidum.*** Et videtur poëta hac strophe ingratos reprehendere, quod plerumque desidia et ignàvia

peccent adversis in casibus amicorum, ut eos deserant et destituant: vel desidiam esse docet, quae ingratos et bonorum desertores faciat. Contra altera in strophe tenaces fidei dicit saepe nimia constantia, aut potius contumacia peccare, quum cedere aliquantum adversis et fugere nesciant, et furere ultra fata et necessitatem velint. ***Nebulae*** tribuuntur desidiae, ut somni vel soporis simili, cuius pigritiam et obscuritatem nubis imagine exprimunt poëtae; ut Val. Flaccus VIII, 81: ***primi percussus nube soporis,*** ad quem locum plura dedit Burmannus; et Claud. de R. P. I, 81, de Plutone: ***caput moestissima nubes asperat.***

Nubis imagine, caput obtegentis, errorem et superstitionem Romae pingit Prudentius in Symm. Lib. I. v. 419: ***Sed nebulis propter volitantibus obsitus alti Verticis horret apex*** et v. 423: ***Obscuras video tibi circumferrier umbras.*** WERNSDORF.

circumstant) nebulae ingrati desidii circumstant. Erat in MS. circumstans. BAYER.

Ingratus pro ***homine ingrato*** legi videtur etiam apud Plaut. Pers. 2, 2, 46: ***Pae. Male operam locas. So.: qui? Pae. quia enim nihil amas, cum ingratum amas.*** Vid. ed. Taubm., Virg. Aen. 6, 213. Intrpp., Propert. 1, 17, 4., Hor. C. 1, 15, 3. — Ad §. 363 et 410. Zumpt. Gr. Lat., Hand. Libr., quem scrips. de Lat. orat., p. 160., Krebs Ant. p. 22. §. 34. et s. v. ***doctus,*** ubi a se dissidet, Reisig. Schol. de Gr. L. habit. ed. Haas p. 392. 396., adscribe: Plaut. Truc. 5. 57: ***lepidus mortalis.*** Terent. Eunuch. 2, 7, 29: ***miser famelicus.*** Ovid. Amor. 3, 7, 50: ***dives avarus.*** Her. 19, 67: ***cupidi amantes.*** Stat. Silv. 4, 7, 38: ***cupidus superstes.*** Iuvenal. 10, 3: ***vera bona.*** 3, 57: ***a magno amico.*** 6, 312: ***magnos amicos.*** Hor. Ep. 1, 17, 12: ***dulcis amice.*** C. 2, 18, 12. ***potentem amicum.*** 3, 2, 31: ***antecedentem scelestum.*** 3, 5, 2: ***praesens divus.*** — Nep. Ages. 7: ***cuiusvis inopis atque privati.*** Cic. Tusc. 5. §. 72: ***idem iste sapiens.*** pro. Rosc. Com. c. 7: ***aliquem timidum, dementem divitem, inertem nactus*** cet. de

Orat. 2, 78, 316: *hoc simile.* pro Ligar. §. 1: *propinquus meus.* pro Fl. c. 41: *omnium bonorum.* Acad. Q. 4, 33: *hic sapiens.* Senec. Ep. 27: *Stultorum divitum.* Liv. 1, 9: *multi mortales.* — Terent. Andr. 3, 7, 6: *stulte.* Horat. Serm. 1, 4, 3: *malus.* 1, 1, 8: *noti.* 1, 2, 24: *stulti.* Epist. 1, 2, 56: *avarus.* 2, 2, 194: *discordet parcus avaro.* Carm. 2, 18, 10: *pauperem.* C. 3, 2, 30: *incesto addidit integrum.* Propert. 1, 16, 38: *iratus.* Phaedr. 1, 24, 1: *inops potentem.* 4, 19, 18: *avare.* Ovid. Fast. 1, 218: *pauper.* Amor. 1, 15, 2: *inertis.* Met. 9, 16: *mortalis.* Sympos. de Liv. 1. (Wernsd. P. L. M. 3, p. 389): *malis.* — Cic. Tusc. 5, 118: *vinolentorum.* pr. Mil. c. 26: *proximorum.* pr. Rosc. c. 20: *innocens, nocens.* Verrin. 4, 10: *improborum.* pr. Fl. c. 41. Tusc. 5, 12: *bonos, improbos.* de Orat. 2, §. 360: *ab inertibus dicitur.* de Fin. 1, 19, §. 63: *sapienti.* Parad. 5, 1. Off. 1, 28: *arrogantis, dissoluti*, Ad. Fam. 4, 9: *sapientis est.* Liv. 2, 9, 1: *privatis.* 34, 3: *finitimorum.* 51, 4: *agrestes.* 66, 11: *plebeium.* Nep. Att. 15: *non liberalis, sed levis arbitrabatur, polliceri.* Senec. Epist. 15. f. *vita stulti.* 52: *improbus, insanus.* Plin. Nat. Hist. 33, c. 8: *ab ingenuis.* c. 47: *locupletem.* — Cic. de Off. 2, 2, 6: *Occurritur autem nobis, et quidem a doctis et eruditis, quaerentibus.* — 2, 6. §. 25: *neque ab indoctissimis se neque ab doctissimis legi velle.* Vid. Commentar. Litterar. Ienens. 1839. Nr. 54. pag. 429., Symbol. meas Paedag., p. 111.

Ceterum olim conieci: *Ignavi;* idem *Rigler;* quo tamen non opus videtur. *Wernsdorfius* temere recepit *desidii. Desidia* est ignavia, inertia et consilii inopia hominum *ingratorum,* qui sua cupiditate impelluntur, non amicorum utilitate. Vid. annotat. ad v. 5—7. p. 120—1.

Hoc genus vitiorum et similis mentis status *nebulae* imagine significatur, velut apud Plaut. Cist. 2, 1, 5:

Iactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota miser;
Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior: ita nubilam mentem
Animi habeo.

Tacit. Hist. 2, 80, 2: *ut primum tantae vicissitudinis offusam oculis caliginem disiecit (Vespas.), militariter locutus laeta omnia et affluentia excepit.* Claudian. XXII, v. 131—134:

Nec te iucunda fronte fefellit
Luxuries, praedulce malum, quae dedita semper
Corporis arbitriis hebetat caligine sensus, cet.

Stat. Silv. 5, 3, 12—13:

Quis sterili mea corda situ, quis Apolline merso
Frigida damnatae praeduxit nubila menti? —

Cognatae illis animi vitiis sunt oblivio, ignorantia cet., atque eae quoque hac imagine significantur, ut apud Catull. 64, 207—8. Cic. Tusc. 5, 2, 6., pr. Sull. 14: *in tantis tenebris erroris et inscientiae.* — p. Red. in Senat. c. 4. §. 10: *mentes angustae, humiles, parvae, opletae tenebris ac sordibus.* Iuvenal. 10, 2—3: *erroris nebula.* Adde Ovid. Met. 6, 652. Cic. Pis. c. 26. Philipp. 12, 2. Senec. de Vit. Beat. 1. init. — Lucian. de Calumn. non tem. cred. 1. Hermotim. 86. Procl. Hymn. I, 41. ad Solem:

Ψυχῇ μὲν φάος ἁγνὸν ἐμῇ πολύολβον ὀπάζοις,
ἀχλὺν ἀποσκεδάσας ὀλεσίμβροτον, ἰολόχευτον.

(II, 23). Frequentissimam esse constat hanc metaphoram in Sanctis Litteris, praesertim apud Ioannem. — Principali proprietate posita reperitur haec res apud Hom. Il. 5, 127. (v. 186. Hor. C. 1, 2, 31—32. Intrpp.), quocum cf. Lucian. Contempl. 7. Odyss, 16, 161. Virg. A. 2, 604—6. Heyn. Schiller. *Cassandr.* str. 8—9.

Aliter Saleius Bassus similitudine caliginis usus est, Wernsd. P. L. M. 4. p. 280. v. 243., de ignobilitate generis et paupertate, uti dicitur *obscuritas generis, obscuro* et contra *illustri loco natus,* cet. Quomodo Virg. 6, 867:

Sed nox atra caput tristi circumvolat umbra. —,

accipi voluerit, ipse indicat v. 863; nimirum de immaturae mortis divinatione; fallitur *Heynius.* Similiter Horat. Epist.

I, 18, 94. de tristi vultu: ***Deme supercilio*** nubem. Sophocl. Antig. v. 528:

> νεφέλη δ' ὀφρύων ὕπερ αἱματόεν
> ῥέθος αἰσχύνει
> τέγγουσ' εὐῶπα παρειάν. —,

ubi plura attulerunt interpretes, velut Stat. Silv. 3, 5, 11: ***nubila vultu,*** quibus adde Drakenborch. ad. Sil. 8, 612:

> *Et sine tristitia virtus; non ille rigoris*
> *Ingratas laudes, nec nubem frontis amabat,*
> *Nec famam laevo quaerebat limite vitae.*

F. Hand., V. D., Stat. Silv. 1, 3, 109: ***detersus pectora nube.*** Pacuv. apud. Non. c. 2. n. 869.: ***vultus caligans, Goeth.:*** Tass. 3, 2. init.:

> *Denn' eine Wolke stand,*
> *Schon als er zu ihm trat, um seine Stirn.*

AXT.

V. 2—8.

Circumst. trep.: Sors nim. in prob. Inc. fac. annuit aus.) ***Sors nimia in probos.*** Fortuna, quae saepe infesta et gravis est probis, facile permittit, ut eos alii contra ius fasque laedere audeant. Tu vero persta, et animum ne desponde. ***nimia in probos*** h. e. severa, ferox, insolens, est e lectiore latinitate argentae aetatis. Tacitus Hist. IV. 23, 4.: ***Praeferoces ingenio, et rebus secundis nimii.*** Vellei. Lib. II, 32: ***iam nimius rei publicae.*** Apud Vopiscum Aurel. c. 8. Valerianus de severitate Aureliani: ***Nimius est, multus est, gravis est, et ad nostra iam non facit tempora. Incesti ausus*** sunt, qui pietatem et summa iura laedunt. WERNSDORF.

Malin: ***Fors,*** vid. Caes. de B. G. 2, c. 21. Oud., Quint. 4, 2, 66. Spalding., Heind. ad Horat. Serm. 1, 1, 2: ***Seu ratio dederit, seu fors obiecerit.*** — Cic. ad Att. 4, 10: ***Sed de illa ambulatione Fors viderit, aut si quis est, qui curet, deus.*** — Catull. 64, 169.: ***Fors nimis insultans invidit.*** Coel. Firm. Sympos. de Fortuna (W. P. L. M. 3. p. 386.):

O Fortuna potens, ac nimium levis,
Tantum iuris atrox quae tibi vindicas,
Evertisque bonos, erigis improbos.

Apul. Met. 7. p. 133: ***quae (Fort.) semper suas opes ad malos et indignos conferat nec unquam iudicio mortalium eligat.*** Horat. C. 1, 34, 12—16. 35, 1—4. 3. 29, 49—52. Senec. Controv. 5, 1. init.: „Ludit te suis fortuna muneribus et quae dedit, aufert; et quae abstulit, reddit." Epist. 1, 74. init.: „Hanc imaginem animo tuo propone, ludos facere fortunam et in hunc mortalium coetum honores, divitias, gratiam excutere cet." Hippol. 979:

Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, spargitque manu
Munera coeca, peiora fovens. cet.

W. P. L. M. 3. p. 250. v. 93. — — Br. Gnom. p. 325. v. 480:

Πολλοὺς κακῶς πράσσοντας ὤρθωσεν τύχη.

Cf. Sophocl. Antig. 1155. Br. sqq., ubi v. 1159. mihi subditicius videtur.

Venit hic in mentem loci Caesaris de B. C. 3. c. 32 f., quem summa iniuria vexarunt critici; vera enim est ***Davisii*** interpretatio, Syriam provinciam ipsam voce ***sortis*** significari; cf. Verrin. Act. 2, 13. ibique Harles. annotat. et quem is affert, Gronov. ad Tac. Annal. 3, 32. et 58. Liv. 42, 31. med. 39, 6.

Verborum ***nimia in prob. Incest. fac. ann. aus.*** constructio ambigua est; potest enim sic institui, ut ***in probos*** aut e vi vocis ***nimia*** pendeat, aut ex ***ausibus.*** Hoc si est, ***nimia*** pertinere potest ad ***facilis,*** ut apud Plaut. Amph. 2, 1, 69. 5, 1, 53. Deinde ***incest. aus.*** pariter aptum esse potest e ***facilis*** voce atque ex ***annuit;*** vid. annot. ad Vestr. 1, 18. Posterior ratio si placet, ***facilis*** dictum est aut ut participium, vid. Bayer. et Rigl. ad I. v. 20., Weissenb. Gr. L. §. 200, 2., Cic. de Orat. 2, §. 286. init., aut adverbialiter vid. Liv. 2, 33: ***ferox irrupit.*** 56: ***concio omnis atrox coorta pro tribuno.***

Adde Horat. Ep. 1, 7, 2: *mendax desideror.* 2, 2, 195: *spargas tua prodigus.* Sat. 1, 10, 92. 2, 2, 55. C. 2, 10, 5—8. 3, 21, 10: *negliget horridus.* 3, 3, 66, nisi forte hic interpungendum: *Desine, pervicax* cet., vid. pag. 31. — Hor. C. 3, 7, 18—20. 11, 46. 24, 18. Vestr. 2, 8. Utrumque coniunxit Virg. A. 7, 625: *pars arduus altis Pulverulentus equis furit.* —, nisi *pulv.* ad *ard.* referre vis; sed magis ad verbum videtur pertinere. Adde 5, 278. — Item dubia ratio vocis *gravis* Virg. Aen. 5, 387., vid. Heyn.

De voce *probos* vid. Gronov. Diatr. in Stat. Silv. 1. p. 306. ed. Hand.

De verbis *incestis ausibus* cf. Petron. 123, 2: *insolito ausu.* Val. Flacc. 3, 613.: *cunctantes ausus.* Virg. Aen. 6. 624. cod. Vrat. et Zul. a. m. sec. et Ovid. Met. 11, 242. Barber. et 3. al.: *ausu potiri;* vid. Forc. ed. Germ. et intrpp., qui his omnibus locis hanc vocem exstirpare volunt: sed stabit Vestritio auctore et Prospero, cuius hunc esse versum memini:

Ausibus illicitis si nihil obstiterit.

Cf. Reis. Sch. de L. G. hab. ed. Haas. p. 126. — De voce *incest.* cf. F. Iacobs. Flor. Poet. Lat. 2. p. 304. Tac. Hist. 5, 4: *Profana illic omnia, quae apud nos sacra; rursum concessa apud illos, quae apud nos incesta.* Horat. C. 3, 2, 30:

Saepe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum;

cuius carminis. v. 26—28. confer. Soph. Antig. 374—375. Br.

Vers. 3. tum syntaxis, tum metrum arguit, particulam *si* post *facilis* excidisse, quae quidem obliterari potuit antecedente syllaba *ĭs*. Per se productio defendi potest exemplis Horatianis, C. 1, 13, 6:

Certa sede manet, humor et in genas.

3, 16, 26:

Quam si, quidquid arat impiger Appulus.

Sed altero loco, qui fugit *Sparrium,* qui Doeringio metra

Horat. conscripsit, quemque Doeringius narrat id summa cum diligentia fecisse, in plurimis codd. legitur: *manent;* altero in paucis: *non piger,* cf. C. 1, 14, 18: *curaque non levis.* 15, 26: *non auriga piger.* Propert. 2, 28, 52: *non proba Pasiphae.* Cic. Off. 3, 8, 36: *error hominum non proborum.* Reperitur tamen etiam in alia huius metri sede producta syllaba brevis, C. 1, 3, 36. (Progr. Wetzl. 1835. Astrolog. Maneth. p. 4.):

Perrupit Acheronta Herculeus labor.

Nescio an particula *que* adiecta, quae apud Virgilinm nonnunquam merum metri fulcrum videtur, velut Aen. 10, 313., orationem non attenuet. Persimile exemplum est 3, 24, 5:

Si figit adamantinos
Summis verticibus dira Necessitas, cet. —,

quod in Progr. Wetzlar. 1835. l. l. pag. 4. transpositione sanavi:

Si summis adamantinos
Figit verticibus dira Necessitas.

(Vid. ed. Orell.) Hoc quoque exemplum fugit *Sparrium.* — C. 2, 13, 16:

Caeca timet aliunde fata. —,

possis scribere *timent* (cf. 3, 5, 17. (Hom. Il. 10, 557.) Zumpt. Gr. Lat. §. 366.) per synesin, sed pleonasmum *ultra aliunde,* ut apud Tullium quidem et apud Livium feremus *nusquam alibi, extrinsecus alicunde,* de Orat. 2, 78, 318, Liv. 2, 39, 8. vix Horatius potuit dicere, at epexegesin potuit: *ultra aliundeque;* itaque repone: *timetque;* cf. (3, 4, 11. Zumpt. L. Gr. §. 358.) 3, 6, 20—21.

Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit.

Sall. Cat. 52: *in cives patriamque* paravisse. Cic. de Fin. 3, §. 71.: *Ius autem, quod ita dici appellarique possit.* Virg. Aen. 6, 326:

Haec omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est.

7, 324—5:

Luctificam Alecto Dirarum ab sede sororum
Infernisque ciet tenebris; cet.

8, 201—202: ***aetas attulit auxilium adventumque dei.*** 289—90.: ***prima monstra novercae geminosque angues.*** 9, 306: ***pellem horrentisque leonis exuvias.*** (661. 848). Horat. C. 1, 2, 15—16. ibique intrpp.; (quamquam Horatii locus ipse non est ***de genere hoc,*** vid. Orell.,) Progr. Wetzl. 1835. p. 30. Coniungit enim ***que*** particula, ut ***Forc.*** ait, etiam sententias et verba explicativa, ubi ***que*** non diversum est a formula ***id est.*** Vid. Reis. Schol. de Gr. L. habit. ed. Haas. p. 412. Fr. Iacobs. Flor. Poet. Lat. 2. p. 267. — — Horat. C. 3, 5, 17:

Si non periret immiserabilis
Captiva pubes.

Glareanus coniecit ***perirent;*** quod probavit ***G. Hermannus,*** vir summus, Elem. D. M. p. 690. Omnes hi loci fugerunt ***Sparrium;*** quem miror hoc nomine attulisse C. 3, 4, 53:

Sed quid Typhoeus et validus Mimas. —,

et 2, 15, 17:

Nec fortuitum spernere cespitem. —,

quum hic Gigas appelletur ***Ty-pho-eus,*** Τυφωεύς, non ***Ty-phoe-us,*** et vocem ***fortuitus, fortuito,*** veteres nunquam aliter elocuti sint, nisi ita, ut iota longum esset: cf. Phaedr. 2, 4, 4:

Tum fortuitum feles contubernium.

Sine dubio ***Sparrium*** induxerunt ii loci, ubi vox per synizesin est trisyllaba: Manil. 1, 182. Petron. 135, 8, 9; quae synizesis est tritissima, vid. Zumpt. Gr. Lat. §. 3. annot., F. C. L. Schneid. Gr. Lat. 1, 1, p. 363. sqq. Eadem ratio est vocis ***gratuitus,*** neque obstat Stat. 1, 6, 16:

Largis gratuitum cadit rapinis. —,

quoniam mora syllabae per synizesin pronuntiandae dactyli quaedam similitudo efficitur, si ea opus est; vid. Catull. 55, 1;

4; 7. Feldbausch. Gr. Lat. §. 674, 7.; Zumpt. igitur errat §. 843. (§. 860. ed. 1837.) Cf. ***Kaercher.,*** V. D., Lexic. in us. schol. conscript. p. XI., Schmidt. ad Hor. Epist. 1, 1, 108. — In voce ***alterius*** quoque penultimam a Romanis vulgo productam esse, docuit Carol. ***Reisigius*** Terentii Creticis (Andr. 4, 1, 4.), vid. eius Schol. de Gr. Lat. habit. ed. Haas. p. 186. Cf. ***Ritschlii*** mei Sched. Crit. Hal. Sax. 1829. p. 15. — Zumpt. igitur in Gr. L. etiam nunc falsa tradit. In Ed. 1823. §. 11. pag. 36—37. iota ei ***breve*** fuit; in Ed. 1828. §. 49. pag. 42. ***exceptiunculam*** admittit; item in Ed. 1837. Propius ad veritatem accedit Weissenb. §. 95. Nimirum Terentius auctor est sermonis communis. — Apud Plaut. Capt. 2, 2, 56. reponendum: ***alius.***

Scientem se affirmare ait ***Sparrius,*** in ***317. Horatii versibus Alcaicis enneasyllabis ne unum quidem iambum in tertia sede legi:*** recte; sed olim lectus est 2, 19, 15:

Disiecta non **levi** *ruina,*

(ubi vid. Bentl.,) quod hodie quoque in Indice Doeringiano sub voce ***ruina*** affertur. Hinc est, quod cecinit Casp. ***Barthius:***

Et dicta subsequens deorum —,

et Mitscherlichius:

Torpore sanguis explicatae —;

vid. Mitscherl. Eclog. Carm. Rec. p. 102. 123. Sed illae scripturae nunc aeque sunt eiectae ex Horatio atque 1, 16, 15: ***Merionem,*** 2, 13, 8: ***Colchica,*** 3, 2, 1: ***amice*** (vid. Bentl.) et 3, 8, 5: ***sermonis,*** licet idonea auctoritate commendentur. —

Etiam quum de metro Sapphico ageret ***Sparrius,*** omisit productionem C. 2, 6, 14:

Ille terrarum mihi praeter omnes
Angulus ridet, ubi non Hymetto, cet.,

ubi equidem legam ***ridens;*** nam hoc partic., quum transfertur, fere adiectivi loco habetur, ut in his: ***ridens acanthus, rid. lanugo,*** cet. Similis est ratio versus Lucretiani 2, 27., ubi al. ***fulgens.*** Vid. C. Schneid. Gr. Lat. 1, 2. p. 747. 751.

Ad *ridens* igitur illud apud animum addes *est,* ut Ovid. ex P. 4, 3, 35. *pendentia sunt* dixit pro *pendent;* cf. Sanct. Minerv. 3, 10, 1. ed. Periz. Ad haec Zumpt. Gr. Lat. §. 168. supple et restringe. — Male hoc genus *Bothius* ponit Homer. Il. 6, 87., ubi sola notanda anacoluthia. — Adde Cic. pr. Flacc. c. 4.: *abhorrens esse.* Meyer. Anthol. II. Ep. 1704. v. 45: *placens est.* —

Apud Stat. 5. 4, 7, 2:

Fortis herois, Erato, labores. —

Gron.: heroos. — Auson. Ephem. mat. v. 11:

Nec coruscantis oculos lacessunt. —

vix corrigi poterit.

Praeterea fugerunt *Sparrium* Hor. 1, 28, 24: *capiti ĭnhŭmato,* quod profecto tetrum est scripturae monstrum; 3, 14, 11: *male ominatis.* Epod. 5, 100: *Exquilinae alites.,* 13, 3: *Threicio Aquilone;* vid. Herm. Elem. Doctr. Met. pag. 62. pag. 691. Primum locum correxi in Progr. Wetzl. 1835. p. 4: *intumulato* (vid. edit. Orell.); alter fortasse eo excusatur, quod hiatus in iis verbis est, quae in solennem locutionem abierunt; cf. Ovid. Amor. 2, 13, 21:

Lenis ades, precibusque meis fave, Ilithyia. —;

nam item Ovid. M. 3, 501. cum hiatu:

— *dictoque Vale, Vale inquit et Echo.* —.

Sed compensat *Sparrius* damna novo genere hiatus, quod 3, 2, 30:

Neglectus incesto addidit integrum —,

sibi videtur deprehendisse! Non felicius idem 1, 2, 34:

Quam Iocus circumvolat et Cupido. —,

18, 16:

Arcanique Fides prodiga, perlucidior vitro. —,

2, 12, 25:

Dum flagrantia detorquet ad oscula. —

attulit neglectae caesurae caussa, si quidem verbum praepo-

sitionibus ita compositum numeros minime turbat et legentibus fere pro duobus est, vid. Herm. Elem. D. Metr. p. 691. —

Adiiciamus nunc nonnullas productiones, quae *C. Schneideri* diligentiam Gr. Lat. 1, 2. p. 745 sqq. videntur praeterisse: Horat. Sat. 2, 3, 187:

Ne quis humasse velit Aiacem, Atrida, vetas cur?

v. 191:

Di tibi dent capta classem reducere Troia!

Postremum versum non videtur novisse censor nostri Hermesianactis in Seebod. Biblioth. Crit. cet. 2, 1. N. 10. Ian. 1829. p. 40; vid. Zumpt. Gr. Lat. §. 22. Antequam Flaccum relinquam, id etiam moneam, Sat. 2, 3, 72:

Quum rapies in ius malis ridentem alienis. —

Doeringium, Passovianae cladis parum memorem (vid. annot. ad Mus.), ***Wielando*** temere obiecisse rei metricae ignorantiam: legitur enim in Torrent. codd.: ***in iura.*** Quid, quod ***Gesner*** ipse, quem ulturus est ***Doeringius,*** in Fabri Thes. Erud. Sch. s. v. ***ridens,*** quum hunc librum ***recenseret, emendaret, locupletaret,*** huic annotationi pepercit: Hor. Sat. 2, 3, 7: ***Malis ridens alienis, ein schaden-froh*** (sic), ***G. songemalice.*** — ? —

Apud Virg., Aen. 1. 1, 308. (al. 312.), ***Schneider*** non debebat omittere variam scripturam: ***vident.*** Num Aen. 5, 521:

Ostentans artemque pater arcumque sonantem. —,

sanum sit, dubitari potest. Item statuendum de Petron. 5, 13. 132, 15, 7:

Mox et Socratico plenus immittat habenas —,
Ipse pater veri doctus Epicurus in arte —,

Bed. Confl. Ver. Hiem. Wernsd. P. L. M. 2, p. 241. v. 26:

Est requies dulcis, calidus est ignis in aede. —

Apud Prop. 2, 16, 22. pro ***refaciamus*** Scaligeri hodie legitur: ***ter faciamus*** iter.

Quae *C. Schneider* Gr. L. 1, 2, p. 748. sqq. de pentametro elegiaco narrat, ita comparata sunt, ut solitam viri

egregii desideres curam. Nam praeter Auson. Epigr. 73, 4. nullum affert certum exemplum, quo mediam huius versus syllabam nonnunquam brevem esse demonstret. Tu vero evolve: Catull. 99, 6.:

Perfecta exigitur unica amicitia.

Auson. Epigr. 24, 6:

Talia magnanimus edidit orsa pater.

8:

Et meus et talis et Lacedaemonius.

47, 2:

In cathedra. Quid agit? Hoc, quod et in tabula.

Epitaph. Her. 22, 2:

Queis pater Alcinus Oceanusque atavus.

Incert. Auct. Eleg. de Maec. Wernsdorf. P. L. M. 3. p. 200. v. 18; 28:

Fraternos vultus oraque moesta videt. —
Impius hoc telo es: hoc potes esse pius. —

His adde Tibulli locos non satis certos: 1, 4, 44:

Venturam admittat imbrifer arcus aquam.

7. 44:

Sed chorus, et cantus, et levis aptus amor.

2, 4, 38:

Fecit, ut infamis hic Deus esset Amor.

Propert. 2, 24, 4.

Aut pudor ingenuus aut reticendus amor. —,

ubi vid. Lachm. — Antholog. Lat. 1, p. 68, ex emendatione *Handii* (Gronov. Diatr. in Stat. Silv. 1, p. 432):

Uritur igne suo fumantibus Aetna cavernis,
Perdite amore Venus uritur igne suo. —

Corollarii loco apponam tria Ovidii exempla, ubi productio efficitur syllaba iit: Heroid. 19, 128. Trist. 3, 14, 36:

Hac Helle periit; hac ego laedor aqua. —
Et longo periit arida facta situ. —

Art. Amand. 3, 63:

Nec quae praeteriit, iterum revocabitur unda!
Nec, quae praeteriit, hora redire potest. —

Sed iusta videtur fuisse huius syllabae productio, vid. Ovid. Her. 6, 31:

Ut rediit animus, tua facta requirire coepi. —

13, 29. Art. 3, 707. Fast. 3, 333. 5, 515. Ergo hanc certe non potuit dicere *licentiam* F. *Osannus*, prooem. Vital. Bles. p. XV. (Aulul. 529.).

De hiatu quoque parum subtiliter egit *Schneider;* unum enim solum affert exemplum, cui tu adscribe: Cat. 66, 48:

Iuppiter, ut Chalybum omne genus pereat.

67, 21:

Speret mi linguam esse nec auriculam.

97, 2:

Utrum os an culum olfacerem Aemilio. —,

ubi al.: *utrumne.*

Num *G. Hermannus* hos versus, ubi media syllaba aut brevis est aut hiat, corruptos censeat, non intelligitur, quum in Elem. D. M. p. 356. sqq. hanc totam rem non commemorarit.

Idem non fecit mentionem lusus Ausoniani: Sept. Sap. Sentent. Thal. Miles; ed. Toll. p. 292:

Turpe quid ausurus te sine teste time.
Vita perit, mortis gloria non moritur.
Quod facturus eris, dicere sustuleris.
Crux est, si metuas, vincere quod nequeas.
Quum vere obiurgas, sic, inimice, iuvas.
Quum falso laudas, sic et, amice, noces.
Nil nimium satis est, ne sit et hoc nimium. —

AXT.

V. 4.

Sta contr. ass. ped.) *Sta contra.* Sic supra in Elegiis, X, 4: *Spes stat in extremis officiosa malis.*

Sta contra, obsiste et persta immoto gradu. Persius Sat. V, 96: *Stat ratio contra,* et Mart. I. 54. 12: *Stat contra dicitque tibi tua pagina, fur es.* —

Sic apud Livium XXII. 39. Fabius Paulum Aemilium monet, *ut adversus famam rumoresque hominum satis firmus stet.* WERNSD.

Cic. de Invent. 1, 3: *a mendacio contra verum stare.* Lucret. 1, 68: *obsistere contra.* Wernsd. P. L. M. 4. p. 491. v. 26: *te contra adstantem,* ubi affert Wernsd. Mart. 1, 54, 12. Adde Virg. Aen. 6, 95:

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito,
Quam tua te fortuna sinet.

Liv. 2, 10, 10: de Horatio Coclite: „Quae quum in obiecto cuncta scuto haesissent, neque ille minus obstinatus ingenti pontem obtineret gradu." —

De locutione *sta assiduo pede* cf. Quintil. 12, 9, §. 18: *Itaque in his actionibus omni, ut agricolae dicunt, pede standum est.*

Notatio verbi *assid.* non est attendenda, siquidem ubi *statur,* non *sedetur.* Asconius ad Verrin. 1, 12. explicat *assiduus* vocibus *molestus, additus,* quod Virgilianam Iunonem *Teucris additam* iuvabit, Aen. 6, 90.

Iam in totius strophae sententiam cf. Cic. pro Mil. c. 26. §. 69: „Vide, quam sit varia vitae commutabilisque ratio, quam vaga, volubilisque fortuna, quantae infidelitates in amicis, quam ad tempus aptae simulationes, quantae in periculis fugae proximorum, quantae timiditates." — Ovid. ex Pont. 2, 3, 7. sqq.:

Turpe quidem dictu, sed, si modo vera fatemur,
Vulgus amicitias utilitate probat,
Cura, quid expediat, prius est, quam quid sit honestum,
Et cum Fortuna statque caditque fides, cet.

7, 21 sqq. Adde 1, 9, 13—16, quod Horatius quoque cogitavit C. 1, 35, 21—24, sed prorsus diverso modo elocutus est. Qua occasione moneam, hoc carmen partem superioris videri casu avulsam. AXT.

V. 5—7.

Mult. turb. ten. * *fid. Ultr. fat. fur.* — *doc.* — * *desider* ** *praem.* **) Haec nec supplere audeo, nec ad sensum interpretari. Appono tantum, si forte queam illustrare, verba quaedam Senecae de tranquil. an. cap. 4, quorum simile aliquid hoc loco dictum esse suspicor, quaeque et aliis Spurinnae locis affundere lucem possint: *Quorundam parum idonea est verecundia rebus civilibus, quae primam frontem desiderant: quorundam contumacia non facit ad aulam. quidam non habent iram in potestate: et illos ad temeraria verba quaelibet indignatio effert. quidam urbanitatem nesciunt continere nec periculosis abstinent salibus. Omnibus his utilior negotio quies est ferox impatiensque natura irritamenta nociturae libertatis evitet.* WERNSDORF.

Ego, quantum potui, lacerum poetae corpus animavi in hunc modum:

Multum turba tenax sed nocuae fide
Ultra fata furit, non docilis fugae,
Quam desideret ut res, mala praemia
Irae non domitae minans, —

ut iam haec sit sententia: Homines beneficiorum a bonis viris acceptorum immemores in periculis quae illis fortuna, ut solet, favente a nebulonibus intenduntur, sibi timentes nihil audent patronos vel amicos defendere. (cf. p. 107.) At tu quidem eos defende utique animo constantissimo, sed prudenter. Nam non raro temeraria fidorum turba, non reputans res aliquando obsequium postulare, inconsiderato studio abrepta, amicis plus nocet, quam ipsi perfidi, similis scilicet eius, qualem Horat. Epist. 1, 13, 4. Vinium Asellam esse vetat:

Ne studio nostri pecces odiumque libellis
Sedulus importes, opera vehemente minister.

Adde Imm. Kant. in Ficht. Vit. a fil. edit. 2, pag. 177. Cic. de Orat. 2, §. 294: *Sed tamen ego de mea nunc, non de aliorum facultate disputo confiteorque me, si quae premat*

res vehementius, ita cedere solere, ut non modo non abiecto, sed ne reiecto quidem scuto fugere videar; sed adhibere quandam in dicendo speciem, atque pompam et pugnae similem fugam: cet. sed tamen multo est turpius, oratori nocuisse videri caussae, quam non profuisse. — Adde c. 74. f. §. 302: *Occidit ille! — Adversariumne? — Imo vero, aiunt, se et eum, quem defendit!* Hor. Ep. ad Pis. v. 31. Serm. 1, 2, 24:

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Serm. 1, 1, 106—7.

Rigler sententiam hoc carmine explicatam non dissimilem opinatur fuisse iis, quae legantur et apud Horat. 3, 1. c. et apud Senec. de Const. Sap. c. 4: *Etiam cum potentes* cet., quibus addit de Tranq. anim. c. 3.

De verbis *tenax* — *fid.* cf. Ovid. Amor. 2, 6, 14:

Et stetit ad finem longa tenaxque fides.

Iuvenal. 8, 25: *tenax amicitiarum.*

Rigler affert Liv. 39, 25., ubi Philippus *equo tenaci* comparatur.

De verbis *noc. fid.* vid. Vestr. 1, 21—22. 2, 20. 3, 10; 12. (pag. 67. 85—6.)

De locutione *ultra fata*: cf. Odyss. 1, 34: ὑπὲρ μόρον. Vell. 2, 68: *ultra sortem temerarius.* Virg. Aen. 6, 95—6. — Horat. C. 2. 18, 32.: *ultra tendere.* 3, 29, 32: *ultra fas trepidare.* Quint. 10, 3. fin.: *ultra modum.* Zumpt. §. 303. Contra Cic.: „*intra* legem epulari." — De re confer. Lucian. Iupp. Confut. c. 1. sqq.

Quod attinet ad verba *non docilis fugae,* similis orationis color apud Horat. C. 1, 1, 18: *indocilis pauperiem pati.* Sil. 12, 726: *pacis docil.* —

Parthorum igitur quoddam strategema suadet et Fabianam cunctationem.

Quam, sc. *fugam.*

Ut v. 7. est *quamvis,* vid. Zumpt. §. 341. Posteriorem locum *ut* saepe tenere constat, ut apud Terent. Andr. 1, 1, 74. 4, 1, 2. Ovid. Her. 1, 2:

Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Ulixe,
Nil mihi rescribas ut tamen. Ipse veni. —

Mart. 9, 42, 5. Burm. ad Phaedr. Prolog. 2, 3:

Nec aliud quidquam per fabellas quaeritur,
Quam corrigatur error ut mortalium.

Relativo postpositum et similiter affectum habes apud Cic. Fin. 4, 15: ***Quae ut essent vera, coniungi debuerunt.***

De verbis ***desid. — res*** cf. Cic. ad Fam. 3, 2: ***res verba desideraret.*** Liv. 4, 13. Num haec locutio apud poetas quoque reperiatur, nescio: sed ***res*** ita apud eos legitur, vid. Ovid. Met. 2, 89: ***res sinit*** 11. 376. Hor. C. 2, 3, 15:

Dum res et aetas et sororum
Fila trium patiuntur atra.

Si quis Forc. Lex. s. v. ***desidero*** inspicit, facile opinetur, poetas hoc verbo fere non usos esse; nam affert ille modo Horat. Epist. 1, 7, 2.; tu vero adde Horat. C. 3, 1, 25. Epist. ad P. 153. Catull. 31, 10. Ovid. ex P. 1, 8, 41. Trist. 5, 4, 27. Remed. 463. Met. 11, 545. 14, 689. Propert. 4, 7, 78. Sane si iota breve esset, Musis tractabilior et magis frequentata fuisset vox.

De verbis ***mala praemia*** cf. Ovid. Met. 8, 503:

Nunc merito moriere tuo: cape praemia facti.

767. Liv. 2, 36, 4: ***Spreti numinis mercedem.*** Item accipiendum Soph. Antig. 820:

οὔτε ξιφέων ἐπίχειρα λαχοῦσ᾽. —.

Ad v. 819. cf. Horat. 3, 27, 53. V. 821. construe: ἀλλ᾽ αὐτόνομος ζῶσα, (cum fueris αὐτόνομος in vita, v. 875. 919—20. Br.,) μόνη δὴ cet. καταβήσει, i. e. ***segregata descendes***; vid. ***Suevern.***

De verbis ***irae non domitae*** cf. Horat. C. 2, 2. 9: ***avidum spiritum domare.*** Plin. Nat. Hist. 37, 10. post init.: ***hominum iracundias domare.*** — Cic.; ***cupiditates indomitae;*** ibid.: ***furor***; Virg.: ***indomitae irae.*** — AXT.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

A.

B.

C.

INDEX SCRIPTORUM,

QUORUM LOCI IN MEIS ANNOTATIONIBUS VEL EMENDANTUR VEL ILLUSTRANTUR.

In Annotat. ad Vestr. Carm. I.

In Annotat. ad Vestr. Carm. II.

In Annotat. ad Vestr. Carm. III.

In Annotat. ad Vestr. Carm. IV.

ADDENDA.

Pag. 5. lin. 2. Cf. pag. 68. — Socrates, quum iam provectior esset aetate, saltabat et hanc exercitationem grandioribus natu commendabat: Xenoph. Sympos. II. §. 15. sqq., cui loco *Portenses saltationis artifices* videntur deberi. —

Ipse quidem Sophocles, quum voce esset tenuiore, non solebat priorum tragicorum exemplo in scenam prodire, nisi quae forte partes singulare artificium aliquod postularent; velut Thamyrin egit canentem fidibus, et Nausicaam **pila** *ludentem.* **Nevius** in Prooem. de vit. et scr. Soph. p. XIII. —

Lin. 14. Cf. pag. 59. —

Pag. 6. Cf. pag. 95.

Pag. 12. Adde his testibus *Gronovium* Observatt. 3. c. 21; vid. annotat. Wernsd. ad Vestr. 2, 1. pag. 70. ed. meae.

Pag. 18. In ascribendo die mediam quandam inter duram et molestam Romanorum et inter promptam et expeditam huius aetatis rationem sequi tutissimum videtur, ut saltem veteris locutionis, cuius cognitione opus est ad Latinos scriptores intelligendos, etiam quum scribimus, usque renovetur memoria, sicuti dudum dupliciter inconstantes narramus *dies Veneris, Mercurii* cet. Cf. C. F. Grotef. Gr. Lat. 2. p. 264. ed. 4. Krebs. Antib. pag. 180. s. v. *dies* fin. — Mutilás istas et distortas locutiones, velut: *tertio Calendas, III. Cal., a. d. III. Cal., ex ante diem, in ante diem, pridie Idus,* cet., hodie tirones vix legunt, nedum, quid sit, perspicere intendant. Servanda igitur videntur, quae sponte percipiantur, quaeque ad difficiliora amplectenda traducere possint, ut *pridie Iduum,* et quae dicuntur adiectis ipso nomine numerali et die cum praepositione, quem ad modum ego feci. *Zumptius,* quod §. 850. ed. 6. pag. 624. lin. 19. ante verba: *aber lässt man die* cet. *Durchweg* addiderat, in ed. 8. p. 693. lin. 3. §. 868. omisit.

Pag. 30. Cf. pag. 61. De metro Anacr. cf. Herm. El. D. M. p. 474. Terentian. p. 2447. — *Prosper* ante oculos videtur habuisse *Petronium,* Fragm. 6:

> *Triplici vides ut ortu*
> *Triviae rotetur ignis,*
> *Volucrique Phoebus axe*
> *Rapidum pererret orbem.*

Pag. 31. Cf. de Celso pag. 11.; de Hor. 3, 1, 70. cf. pag. 111.
Pag. 33. lin. 9. Cf. pag. 92.

Pag. 35. De *dulcedine* cf. quae *Hermannus Paldamus*, amicus carissimus, disserit in *I. Chr. Iahnii*, viri doctissimi, Annal. philolog. et paedag. 8, 22, 4. p. 441. — Pseudohorat. in Meyer. Antholog. Epigr. 115: *Dulci libello* cet. — *Goethiano* dicto adde Cic. de orat. 2, 45. §. 189. sqq.: *Neque fieri potest, ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimescat aliquid, ut ad fletum misericordiamque deducatur, nisi omnes ii motus, quos orator adhibere volet iudici, in ipso oratore impressi esse atque inusti videbuntur.* cet. — Quintilian. 6, 2, 26. sqq.: *Summa enim, quantum ego quidem sentio, circa movendos affectus in hoc posita est, ut moveamur ipsi.* cet. — Horat. Epist. ad Pis. 101. sqq.:

Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus: si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi; cet.

Pag. 37. De iocis cf. Libell., quem scripsi *de Gymnasiis et de iis ludis, qui suas sibi res profitentur*, Darmst. apud Ionghaus. 1840. p. 26—27, qui liber quantam aerumnam crearit *realistis*, qui vocantur, intelligendum est e Commentar. Scholast. Darmstad., Nr. 80—1. 1840., ubi **Curtmannus**, Offenbachensis ludi, ut audio, rector, di boni, qualis vir! qui in rebus arduis unus solus mortalium sapere — — sibi videtur scilicet, tam *prodigus animae magnae* est grassatus, ut, popularibus adversariis, *viris quamvis acribus et amplis*, quasi levissimis hominibus, neglectis, ex angustis patriae finibus egredi et in „Borussum professorem" erumpere mallet, quem „fortem" hominem nosset et ipse praedicasset. — Macte virtute et — cautione esto! — De cetero ad libidinem fruere et cum bona pace ista tua barbaria, quae tibi valde placet. —

Pag. 36—7. Cf. Tib. Hemsterh. Orat. de Ling. Gr. praest. cet. p. 49. ed. Fried.: *Platonem, quaeso, recognoscite, qui mellitum Socraticae disciplinae leporem Pythagorea gravitate temperavit;* cet.

Pag. 39. *Hermanni Paldami* quoque elegantia et acumen aegre tulit, continue apud Horat. 1, 1, 29. hominibus obviam fieri speciem istius praemortui *me*, ad Propert. p. 258. Cf. Caroli Reisig. ad Oed. C. Praef. XXIV.

Pag. 41—3. Forcellinus s. v. *aetas* Isidorum Orig. 11, 2. sex distinguere vitae partes sive *gradus* narrat, et Tuberonem apud Gell. 10, 28. (* 15, 20.) scribere, Serv. Tullium tres constituisse. Adde, qui ibidem afferuntur, Vellei. 2, 36: „quis ignorat diremtos gradibus aetatis floruisse uno tempore" cet. — Suet. Aug. 5. med. 51. f. Claud. 46. f. Liv. 42, 34. init.: *aetas* absolute de *adolescentia*. — Cic. de Sen. 6. f.: *florens*, item. *Suet.* Galb. 4. f.: *constans*. Plaut. Aul. 2, 1, 37: *media*.

Tac. Ann. 6, 46. Init.: *composita.* — Sueton. Caes. 49. f.: *aetatis florem in Bithynia contaminatum*, de adolescentia. — Vd. *Georg.* Lex. s. vv. *Alter* et *Iugend.* — Loco Senecae, quem p. 42. lin. 16. attuli quique perscriptus est p. 43. lin. 9., *in flore* de *iuventutis* vigore positum est.

Pag. 44. lin. 2. sqq. Cf. pag. 66. — Horat. Serm. 1, 4, 8: *Lucilius — emunctae naris.* Weissenb. Gr. Lat. pag. 243.

Lin. 11: *Vultus compositus* apud Tac. Annal. 1, 7. num *simulatus*, *confictus* sit, an qui nullam indignationem aut iram praeferat, dubium; omnino haec paria sunt.

Pag. 45. lin. 8: Iliad. 24, 487: ὀλοῷ ἐπὶ γήραος οὐδῷ. —

Lin. 16. sqq.: Commodum mihi affertur *C. F. Hermanni*, *Marburgensis*, carmen, quo *C. G. Iusti* muneris ecclesiastici rite suscepti memoriam semisaecularem Kal. Sext. MDCCCXL. gratulatur, cuius haec est stropha XIV.:

Tu tori fidam retinens sodalem
Liberos carosque vides nepotes,
Corpori firmo bona nec fruendi
Copia **deest.** —;

et velim scire, quid virum diligentissimum et maxime circumspectum commoverit, ut *deest* vocis illud tempus esse iudicarit. — Horat. Epist. 1, 13, 24: *Vilis amicorum est annona, bonis ubi quid* **deest.** Ovid. Her. 18, 136: *At nunc per ventos hoc quoque* **deesse** *queror.* 10, 37: *Haec ego, quod voci* **deerat,** *plangore replebam.* Met. 15, 354: *Naturaeque suum nutrimen* **deerit** *edaci.* 13, 819: *Nec tibi castaneae me coniuge, nec tibi* **deerunt.** Horat. Serm. 1, 9, 56. 2, 2, 98. 2, 1, 17. — De versibus:

Deque collegi bona vota **seitu.** —,
Donec Eoae fremebunda **stirpis.** —

(stroph. 3. et 17.) cf. *Symb. mear. Paedag.* pag. 128. Hoc solum positionis genus Epigr. 114. et 115. Antholog. Meyer. non *Horatiana* esse *lyrica*, remotis reliquis omnibus ineptiis, evincit. *Sorex se ipse prodit. Hic* pronom. *vulgo* producitur et *hoc* constanter videtur ab optimis poetis productum esse. Vid. *Forc.* f. — *Osannus* potuit videri *hoc* pronominis productionem et ipsam opinari *insolentem*, sed *minus* insolentem, cf. annot. ad Vital. v. 471. — Exemplis adde Horatianum: *Hoc erat in votis.* Ita per omnes praecipuos poetas.

Pag. 49. De aoristi et perfecti vi et usu cf. quae nuper ad illustranda et vindicanda *Buttmanni* praecepta exposita nobis sunt in *Zimmermanni* Commentar. Antiq. Stud. 1839. Nr. 145—7.

Pag. 50. lin. 10: „Talem virum eum (Sophoclem) consensu veteres testantur fuisse, cui et dii et homines eximie faverent. Duo erant, quae ei exprobrarentur, quod et pecuniae esset studiosior et nimis deditus amori." — *Nevius*, pag. XIII. Prooem. Sophocl.

Pag. 51. *Nicht mehr* i. e. *laenger* Latine est *non iam*; vid. Georg. Lex. s. v. *Mehr*, med. —— Cic. de Orat. 2, §. 365: *Non [tamen] essem tam inurbanus.* — Liv. 2, 13, 11: *Romani — novo genere honoris, [sc.] statua equestri donaverunt.* — Zumpt. §. 708, 2. ed. 8. — Ceterum huius pag. lin. 6. infr. et alibi ab eo verborum splendore, quem Krebs. Antib. s. v. *tinea* suadet, ipsius *elegantiae* caussa abstinuimus. Cf. Addend. ad pag. 96—7.

Pag. 52. Horat. Epist. 2, 2, 207:

— caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine et ira?
Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos lemures, portentaque Thessala rides?

Tusc. 5, c. 36. §. 103: *Num igitur ignobilitas aut humilitas, aut etiam popularis offensio sapientem beatum esse prohibebit? vide, ne plus commendationis in volgus, et haec quae expetitur gloria, molestiae habeat, quam voluptatis.* cet. Plat. Sympos. p. 216. B. — Cf. pag. 82—3. (Addend.)

Pag. 54. Enallages exempla adde haec: Horat. C. 1, 17, 26, Vestr. 3, 14. Vital. Bl. A. v. 151. — Eleganti coniectura *F. Spitzner*, vir summa doctrina, in Epistola in Nonni Dionysiaca, Cissinga in Francis ad me data, (vd. *Zimmermanni*, hominis liberalissimi, Commentar. Antiq. stud. h. a.) enallagen restituit Nonno, Dionys. IX, 105, ubi „divinam Bacchi originem ac natales coelestes splendor puerulo circumfusus et suis radiis omnia collustrans manifesto prodit":

Καὶ Διὸς αὐτοβόητος ἀπαγγέλλουσα λοχείην
μαρμαρυγὴ σελάγιζε, καταυγάζουσα προσώπου,
τοῖχοι δ' ἀ χ λ υ ό ε ν τ ο ς ἐλευκαίνοντο μελάθρου
Καὶ ζόφον ἔκρυφε φέγγος ἀθηήτου Διονύσου.

Vulgo enim ἀχλυόεντες; sed „conclavis tenebricosi parietes et ipsos obscuros esse per se patet." —

Pag. 55. De enallage prosae orationis cf. Caes. B. G. 6, 5, 1: ***Totus*** *et mente et animo insistit.* Cic. de Or. 1, 26: ***tota*** *mente contremisco.* —

Pelagi imagine praeclare usus Plato Sympos. p. 216. B.

Pag. 56—7. Cf. pag. 72. Tib. Hemsterh. Orat. in obit. Arnaldi pag. 106. ed. Friedem. (ed. II.) et Ἀποφθ. σοφ. in Ind. Scholar. Bonnens. ed. *Ritschl.* 1839—40. pag. 6: σοφία μόνη τῶν κτημάτων ἀθάνατον. — Quod pag. 8. *Ritschlius* meus affert Orionis dictum (tit. I. 26.): ἃ ποιεῖν αἰσχρόν, μηδὲ νόμιζε λέγειν, cf. cum Soph. Oed. T. vers. 1409. (Br.), quem primus videtur pressisse sententia *Wexius* meus in Commentat. de Plat. Men. p. 63. Sed negari

non potest, esse, ubi facere minus turpe sit, quam dicere, praesertim quum ἔργα μᾶλλον πεπονθότα sint, ἢ δεδρακότα, ut ipse ait de se Oedipus, Col. v. 267. Conf. Soph. Fragm. (Stob. Fl. 110. p. 459.) Tyr. XIII.:

Μὴ σπεῖρε πολλοῖς τὸν παρόντα δαίμονα.

Pindar. Fragm. Ἀδηλ. παρ. Ἀρτεμ. cet. 12. (Stob. Serm. 256.):

Ἀλλοτρίοισι μὴ προφαίνειν, τίς φέρεται
μόχθος ἄμμιν· τοῦτό γέ τοι ἐρέω·
καλῶν μὲν ὦν μοῖράν τε τερπνῶν
ἐς μέσον χρὴ παντὶ λαῷ δεικνύναι,
εἰ δέ τις ἀνθρώποισι θεόσδοτος ἀνταία κακότας
προστύχῃ, ταύταν σκότει κρύπτειν ἔοικεν.

Soph. Antig. v. 1246—50. Br., ubi v. 1549. στένειν e verbo προθήσειν pendet.

Pag. 57. Figurae etymologicae exemplis haec adde: Soph. Antig. 1046. Br.: πίπτειν αἰσχρὰ πτώματα. 423—4: ἀνακωκύειν ὀξὺν φθόγγον. 1199—1200: τὸν μὲν — λούσαντες ἁγνὸν λουτρόν. Eodem refero 1259—60: οὐκ ἀλλοτρίαν ἄτην, ἀλλ' αὐτὸς ἁμαρτών. Eduard. Wunder, popularis meus, de tragicis Graecorum poetis praeclare meritus, versu 1247—49. γόους στένειν dictum esse putat et affert ex Aiacis versu 581: γόους δακρύειν. — Herm. Trachin. 27: λέχος ξυστᾶσα. Cic. ad Fam. 7, 25: γέλωτα σαρδόνιον *ridere*, cet.

Pag. 59. lin. 12. Cf. pag. 5. — De *septenarii* numeri perfectione multa disserere Macrobium Somn. Sc. 1, 6. refert *Forcellinus* s. v. *septenar.* — Virg. Georg. 4, 207: *neque enim plus septima ducitur aestas.* Aen. 1, 755: *Nam te iam septima portat Omnibus errantem terris et fluctibus aestas.* — *Forcellinus*, ubi *aestatem* a poetis interdum pro *anno* poni narrat, sed nulla exempla affert, deinde ab historicis ita dici memorat, quia aestate bella fieri soleant, producens Vell. 2, 47. et 81. Tac. Ann. 6, 39, quibus addit Ed. Germ. Arntzen. ad Aurel. Vict. V. I. 3, 23, 3.

Pag. 62. Prolepsis exemplis adde haec: Horat. 1, 13, 18:

Felices ter et amplius,
Quos ***irrupta*** *tenet copula nec malis*
Divolsus *querimoniis*
Suprema citius solvet amor die.

Virg. Eclog. 4, 14:

Te duce, si qua manent, sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.

Soph. Antig. 1302. Br.: λύει κελαίνα βλέφαρα. 1186. 1275. Trachin. 240: ἥρει ἀνάστατον δορὶ χώραν.

Pag. 66 — 7. In cod. Giss. v. 430. Amphitr. est: *nuntiet iste bonum.*

Genitivi exemplis adde Plaut. Mil. 3, 1, 124: *excruciarier animi.* — Lucan. Ph. 9, 345: *tuta fugae.* Ovid. Tr. 3, 3, 25. — Horat. C. 2, 15, 6. Soph. Antig. 10: ἐχθρῶν κακά. 11. μῦθος φίλων. Hom. Il. 24, 597:

ἕζετο δ'ἐν κλισμῷ πολυδαιδάλῳ, ἔνθεν ἀνέστη,
τοίχου τοῦ ἑτέρου, ποτὶ δὲ Πρίαμον φάτο μῦθον —,

ubi genitivus pendet e voce κλισμῷ; vid. F. A. Wolf. Schol. de Hom. Il. habit. ed. Ust. 2. p. 274. (Il. 4, 417.), qui tamen erravit, quum apud Homerum l. l. genitivum esse absolutum opinatus est; pendet genitivus e voce πένθος. — Non aliter illa explicanda, de quibus *I. Harrisius* in Herm. p. 228. ed. Ewerb., velut πεποίηται λίθου, πεποιημένος χρυσοῦ, *factus auri,* quem Latini vulgo dicunt *ex auro factum.* Cf. pag. 44. (Addend.).

Pag. 68. De corporis exercitationibus vid. pag. 5. ibique Addend.

Pag. 71. infr. Apud. Quint. 1, 191, scribendum videtur:

αὐτήν θ', οὕνεκ' ἔοικεν ἐπουρανίῃσι θεῇσιν,
ἐκπάγλως κήδευε· θεοῦ γάρ τ'ἔστι γενέθλης, —

vel τεῆς aut θεῆς, de quo cf. Apollon. Rhod. 1, 8. Potest etiam scribi: θεοῦ γ'ὥς ἐστι γενέθλης. Vulgo pro κήδευε legitur δὴ σεῖο vel δ'ἡ σεῖο, θεοῦ γένος, ἐστὶ γενέθλης. De γενέθλης voce cf. Hom. Il. 19, 105; 111., qui simili colore sunt versus, et similiter laborant incerta constructione et tautologiae quadam copia. De verbis ἐκπ. κήδ. vid. Pass. s. vv. Aliter de hoc loco senserunt *F. Spitzner,* restitutor Quinti, in Observatt. crit. et gr. in Q. Sm., Lips. 1839. p. 24. et *Ern. Glasewaldus,* vir sagacissimus et beatissima ingenii ubertate, amicus mihi desideratissimus, in Coniect. in Q. Smyrn. (Viteb. 1817.) pag. 8., quae iam discipulus classi Lycei illustris Vitebergensis primae ascriptus composuit. —

Pag. 72. Cf. de divinitate pag. 56 — 57. (Addend.) et Plat. Sympos. p. 210 — 212. A. —

De nomine *filii dei* cf. Iul. *Aug. Lud. Wegscheideri,* viri doctissimi, integerrimi, fraudis piae strenui vindicis, Institut. Theolog. Christ. Dogmat. Part. II. C. III. §. 82.

Heyn. l. l. (Il. 6, 191.) haec: „Per virtutem probatur aliquis esse

divina stirpe prognatus." — Ad v. 180. Il. 6. non debebat scribere: *inter veteres*, sed inter *priscos, vetustos*, ne hae annotationes inter se pugnarent. —

Cf. quae Charmides et Antisthenes apud Xenoph., Sympos. c. 4. §. 29—45., lepidissime de paupertatis commodis disserunt. Adde Cic. Tusc. 5, §. 102. sqq.

Pag. 74—5. Cf. pag. 87. 80—1. 93, 95. (Add.) et Theophrast. „Fragm., quod e Libro de Nuptiis in linguam Latinam translatum Hieronymus servavit," (Adv. Iovian. I. 48.) a. *F. Osanno* „refictum ad normam codd. duorum Parisinorum," in Commentatione de Coelibum apud veteres populos conditione II., qua indixit Diem sacrum ab S. Ludov. Nom. vocat. in honor. cet. Ludovici II. cet. celebrandum, Gissae MDCCCXXXX. pag. 8.: *Sapiens autem numquam esse solus potest: habet secum omnes, qui sunt quique umquam fuerunt boni, et animum liberum quocunque vult transfert. Quod corpore non potest, cogitatione complectitur: et si hominum inopia fuerit, loquitur cum deo. Numquam minus solus erit, quam quum solus fuerit.* —; cui apprime respondet Cic. de Offic. 3, 1: *Publium Scipionem, Marce fili, eum, qui primus Africanus appelatus sit, dicere solitum, scripsit Cato, qui fuit fere eius aequalis, Numquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus; nec minus solum, quam cum solus esset.* —

Osannus pag. 5. sic edidit: *Dein per totas noctes garrulae conquestiones: Illa ornatior procedit in publicum, haec honoratur ab omnibus, ego in conventu feminarum misella despicior. Cur aspiciebas vicinam? Quid cum ancillula loquebaris? De foro veniens quid attulisti? Non amicum habere possumus, non sodalem. Alterius amorem suum odium suspicatur. Si doctissimus praeceptor in qualibet urbium fuerit, nec uxorem relinquere, nec cum sarcina ire possumus.* —

Sed post vocem *sodalem* signum orationis praecisae est ponendum; nam hic finem facit mulier *conquestionis*. Deinde post *amorem* comma ponendum. An pro *suum* scribendum sit *sui*, dubitat *Osannus;* non opus videtur; vid. Viger. pag. 164. et 732. ed. II.: „Cic. Phil. 10: *pro tua amicitia iure doleo*, i. e. *pro ea, quae mihi tecum est amicitia.*" — Adde Hor. C. 3, 7, 10—11. S. Oed. Col. 322: Τέκνον, τί δ' ἦλθες; — σῇ, πάτερ, προμηθίᾳ. — Praeterea pro *urbium* repone: *artium;* nam *urbium* nihil est; Latinitas autem Hieronymi *praeceptorem in arte* minime respuit, praesertim quum veteres iam dixerint: *aliquo uti magistro in aliqua arte*. Denique iam habebit, *C. E. Georges*, V. D., quomodo *Gardinenpredigt* interpretetur, et ad vocem *Cicisbeo* hoc exemplum adiiciet Martiali, 9, 3, 8. —

Iis, quae supra dicta sunt, adde Senec. Ep. 27. Cic. Tusc. 5, §. 5: *Nos*

autem omnia adversa tum venientia metu augentes, tum maerore praesentia, rerum naturam, quam errorem nostrum, damnare malumus. Sed et huius culpae, et ceterorum vitiorum peccatorumque nostrorum, omnis a philosophia petenda correctio est; cuius in sinum quum a primis temporibus aetatis nostra voluntas studiumque nos compulisset, his gravissimis casibus in eundem portum, ex quo eramus egressi, magna iactati tempestate confugimus. O vitae philosophia dux, o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! cet. — Adde. §. 39. 71.

Pag. 81. Cf. de voce *propr. Grysar.* Exercit. Lat. scrib. pag. 73. XXI, 8. —

Lin. 19. Sophocl. Antig. 583: Εὐδαίμονες, οἷσι κακῶν ἄγευστος αἰών. Empedocl. apud C. Alex. Str. 5. extr.: Ὄλβιος, ὃς θείων πραπίδων ἐκτήσατο πλοῦτον. —, cui loco cf. Xenoph Symp. c. 4, 34; 41.

Pag. 82—3. *Et reg. — simul.* fortasse ita explicandum, ut coniunctam velit matris curam cum reginae severitate et gravitate.

Liv. 2, 61, 5: „*Illum non* minae plebis" cet. —

Cic. Tusc. 5. §. 104: „honores populi," (cf. p. 52. Add.) Post Red. in Sen. §. 10: „non consules, sed venditores vestrae dignitatis," pro Leg. Manil. 1. §. 2: „et meus labor, — — ex vestro iudicio fructum est amplissimum conseccutus." Horat. C. 1, 1, 8—9., cui loco cf. Cic. pr. Flacc. c. 13. f. — Plat. Sympos. p. 216. B.: ξύνοιδα γὰρ ἐμαυτῷ ἀντιλέγειν μὲν οὐ δυναμένῳ, ὡς οὐ δεῖ ποιεῖν, ἃ οὗτος κελεύει, ἐπειδὰν δὲ ἀπέλθω, ἡττημένῳ τῆς τιμῆς τῆς ὑπὸ τῶν πολλῶν.

Pag. 86. Sophocl. Antig. v. 1167: ἔμψυχον νεκρόν. Xenoph. Symp. 8, 13: φιλεῖν γε μὴν τῶν μὲν τὸ ἦθος ἀγαμένων ἀνάγκη ἰδία καὶ ἐθελουσία καλεῖται. — Liv. 2, 52: *Temeritas felix.* 64: *salubri mendacio.* Vestr. 3, 12—13.

Pag. 87. Istuc *eius* Ovidianum (v. 27.) notavit Bentl. ad Hor. 3, 11, 18. Zumpt. Gr. Lat. §. 702. ed. 8. Adde Herm. ad Oed. Col. 121. Hom. Il. 1, 255. cet. Horat. C. 2, 18, 37. cet.

Pag. 88. Ad locum Horat. (Serm. 2, 3, 56.) non potest conferri *Weissenb.* Gr. Lat. §. 445, 8.

Pag. 91. Ovid. Her. 19, 90:

Magnus ubi est **spretis** *ille natator aquis?* —

Pag. 92. Cf. *Weissenb.* Gr. Lat. pag. 243. 274. *Heyn.* ad Virg. Cul. v. 79. (cf. Vestr. 2, v. 12. et pag. 74.): „*Procul* paullo durius positum, absolute: *dum procul se continet.*" — Sallust. Cat. c. 9: *audacia in bello.* Cic. ad Fam. 9, 12: *Oratiuncula pro Deiotaro.* 21:

civis e republica. De Orat. 2, §. 221. Liv. 22, 50: *fuga ad Alliam.* Ibid.: *ex laetitia epulis.* c. 53: *Scipionem, admodum adolescentem.*

Pag. 95. Cf. Lucian. Hermot. 1: καίτοι ἐκεῖνος ἰατρικῆς πέρι ταῦτ' ἔλεγεν, εὐμαθεστέρου πράγματος· φιλοσοφία δὲ καὶ μακρῷ τῷ χρόνῳ ἀνέφικτος, ἣν μὴ πάνυ τις ἐγρηγόρως ἀτενὲς ἀεὶ καὶ γοργὸν ἀποβλέπῃ ἐς αὐτήν· καὶ τὸ κινδύνευμα οὐ περὶ μικρῶν, ἢ ἄθλιον εἶναι ἐν τῷ πολλῷ τῶν ἰδιωτῶν συρφετῷ παραπολούμενον, ἢ εὐδαιμονῆσαι φιλοσοφήσαντα. — Cic. Tusc. 5. c. 2. Virg. G. 2, 490—2. Heyn., Lucret. 1, 64. sqq. 3, 1060. sqq. Adde pag. 104—5. Horat. Epist. 1, 11, 25. sqq. Lucret. l. l. 1067. sqq. Addend. ad pag. 74—75. f.

Pag. 96—7. Cf. ad *fat.* et *fortun.* ἄποτμος, πανάποτμος; qui enim *est*, eius est aliqua fortuna; cuius igitur nulla est fortuna, is non est, sed *nullus* est, i. e. perditus sive infelicissimus est. Ceterum tam miro, quam tetro typothetae, arte insignis, errore accidit, ut verba Horatiana: *Troiae renascens alite lugubri*
Fortuna tristi clade iterabitur. —,

paginae 96. extremos versus, quos vulgo vocant *lineas*, occuparent; ponenda enim erant paginae 97. vers. sive lin. 9. post numerorum signa: 61—2. — Cf. p. 40. init.; nempe nosti *solamen miseris* cet. Atqui lugebunt Gratiae et hic et illic et — pro dolor! p. 117. lin. 15. et 16. Cf. Corrig.

Pag. 98—9. Perplexae breviloquentiae exempla haec adde: Virg. Ecl. 4, 13—14. Horat. C. 1, 11, 4—5:

Seu plures hiemes, seu tribuit Iuppiter ultimam,
Quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum.

Phaedr. 2, 5, 25:

Multo maioris alapae mecum veneunt.

Liv. 2, 40, 8, Hom. Il. 24, 551, nisi post ἀνστήσεις colon ponendum. — Soph. Antig. 1251—2. Br. Nam non ἡ μάτην πολλὴ βοὴ δοκεῖ προςεῖναι βαρὺ, sed πολλὴ βοὴ, quae quidem in tali re *semper frustra* fit. Cf. 1340. Br., ubi persimilis ratio est sententiae. — Antig. 1317—18. Br. (Wunder. annatot. 1295.) Xenoph. Cyrop. 4, 5, 5: πολλοὶ μὲν γὰρ ἀπεδίδρασκον, πολλοὶ δὲ ἑάλωσαν.

Pag. 99. Hyperbatis Lat. adde Terent. Adelph. 5, 7, 29: *Tu illas abi et traduce.* Vide, quae de hoc toto genere scite animadvertit Quintilian. 8, 6, 62—7.

Pag. 101. lin. 7. legendum videtur δείματα; quod in exemplo Tauchn. est, δείγματα, ineptum. In ed. Basil. est δήγματα. Hemsterhusiana nunc ipsum non prae manibus est.

Pag. 102. Hyperbatis tragic. adde S. Antig. v. 404:

Ταύτην γ' ἰδὼν θάπτουσαν ὅν σὺ τόν νεκρὸν
Ἀπεῖπας.

v. 1070. 1350—1. Br., Ed. Wunder. ad v. 1258. De ἐπαρκέσοντ. ποιμ. cf. pag. 66. (Add.) Rost. Gr. Gr. §. 108, 2, b. annot. 4. §. 130, 6, annot. 6.

Pag. 103. De voce ποιμένος vid. Passov. Lex. 2. et Valcken. ad Phoen. 1146, Soph. Antig. 8. — Ad verba γενναία γόναι cf. Electr. 287. — De Antig. Soph. 905-10. cf. Byron. Pir. 2. f., Addend. 86. (Xenoph.). — Istam, si dis placet, „Lucis et Caliginis" Censuram, quae nuper cum summo *cordatorum* hominum stupore in Commentariis Eccles. Darmstad. (Iun. 1840. Partic. 6.) legebatur, a cursu, quem Berolinum direxerat, forte fortuna Darmstadium esse depulsam pronuntio, ut *cordati* homines stupere desinant. — Hem ridiculum caput! qui possis de odore rerum consentire, si quis rosas bene olentes esse concedat, tu foetidas esse vociferaris?!

Es kann der Britte gegen den Schotten nicht
Gerecht sein, ist ein uralt Wort —.

Condonamus quaestus invidiam; at boni accusatoris nimia videtur, quum me, ut collegii ius non habentem, sed, ut periti iudicarunt, non infeliciter in hoc genere versatum, a communi theologico artificio plane excludit et ad philologiam relegat, in qua me principem callide praedicat, divinarum rerum investigationem me indignam esse clamans. En periclitabor artem: homo cautus nomen non est ausus subnotare suum, sed his compendiis significavit: ***D. H.*** —; nempe ***H.*** esse ***Hans*** suspicor; sed ita istuc *D.* perobscurum et *inextricabile* est! Davus sum non Oedipus: praestat igitur eiusmodi nomen statuere integrum, quod in ***ck.*** desinat; res ad idem redit. — Quod *Pietistarum*, qui vocantur, *odiosa* a me *delata* criminatur, hoc qui ei suggesserit, vide apud Ioann., Evang. 8, 44. — Si, quae praeterea de se sentiam, cupiat scire festivus caliginis propugnator, iam nomine non vacans, legat Responsum, quod Theodor. Becker, Halensis philosophus, abstulit (Wetzlar. apud Wigand. 1838.), ubi multa reperiet, quae ad se pertinere intelliget. — Denique de *locis „attractis"* conferat quaeso Evang. Matth. 7, 6. —

Pag. 104. Sophocl. Electr. 456: ἐχθροῖσιν αὐτοῦ ζῶντ' ἐπεμβῆναι ποδί.

Pag. 107. Cf. Cic. Brut. c. 4: *a doctis*. Phil. 2, 2: *alienum*. Tusc. 5, §. 72: *omnesque sapientes*. Sall. Cat. c. 12: *religiosissumi mortales*. 13: *a privatis compluribus*.

Pag. 111. Horat. C. 1, 7, 17: *sic tu sapiens finire memento Tristitiam vitaeque labores*. v. 22. — 1, 18, 11.

Pag. 112. Horat. C. 1, 18, 9: *non levis Evius*.

Pag. 121. De forma genit. *fide* cf. Orell. ad Horat. C. 3, 7, 4: *Constantis iuvenem fide*.

De *ut* partic. cf. Drakenb. ad Liv. 2, 40, 8.

CORRIGENDA.

. . iure mireris quorundam sedulitatem, qui quasi *pueros* erudiant, minutissima quaeque . . enumerant, [velut pag. **16**. lin. **2**. infr.: *humantitatis*, cet.] *C. Reisigius.*

Pag. **31**. lin. **4**. pro: *19*. lege: *20*.
„ **38**. „ **10**. infr. pro: *indicium* lege: *iudicium*.
„ **44**. „ **11**. pro: §. *215*. lege: §. *216*.
„ **46**. „ **16**. infr. pro: ’φευρεδῆς lege: ’φευρεθῆς
„ **53**. „ **9**. infr. pro: νιαὶ lege: καὶ.
„ **61**. „ **5**. pro: *Herm. V. S. Elem.* lege: *Herm.*, V. *S.*, *Elem.*—.
„ **64**. „ **1**. infr. pro: *Apophtegmatis* lege: *Apophthegmatis*.
„ **65**. „ **5**. infr. pro: v. (Vital. Bles.) *94*. lege: *105*.
„ **73**. „ **5**. infr. pro: *Eove* lege: *Euoe*.
„ **87**. „ **3**. post *coec.* pone comma.
„ **117**. „ **15**. et **16**. sero animadverti, librariolum, per errorem lapsum, posuisse pentametrum, qui apud Wernsd. legitur p. **200**. v. **18**.:

fraternos vultus oraque moesta videt,

pro eo, qui est pag. **204**. v. **16**.:

Debet; qua rapuit, hac reparanda via est.

„ **128**. „ **15**. infr. pro: *67*. lege: *57*.
„ „ „ **18**. infr. pro: *descript. Syllog.* lege: *Inscript. Syllog.*, et pro: *67*. lege: *57*.
„ „ „ **1**. infr. pro: *365*. lege: *367*.